alle ½

QUAESTIONES

GENEALOGICAE HISTORICAE

IN

ANTIQUITATEM HEROICAM GRAECAM.

SCRIPSIT

IOANNES HENRICUS CHRIST. SCHUBART,

DR. PHILOS.

CUM PRAEFATIONE FRID. CREUZERI.

MARBURGI.

SUMTIBUS ET TYPIS LIBRAR. ACADEM. ELWERTIANAE.

1832.

FASCICULUS PRIMUS.

ARGOLICA.

PRAECEPTORIBUS SUIS

ATQUE

FAUTORIBUS

IN

ACADEMIIS HEIDELBERGENSI ET MARBURGENSI

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

EA QUA PAR EST PIETATE ET OBSERVANTIA

D. D. D.

AUCTOR.

LECTORI BENIVOLO

S.

FRIDERICUS CREUZER.

Praefationi praefationem adiici permirum videatur. Sed viri humani non nesciunt quae humanitatis sint. Me quidem sciant huic officio nunquam libentius fecisse satis. Nam vir iuvenis, qui nunc primum in publicum prodit, non solum Marburgi in academiâ patriâ, ex quo his literis operam dare coepit, verum etiam huc delatus et Seminarii Philologici alumnis adscriptus morum integritate, sollertiâ ingenii, diligentiâ commentandi atque industriâ ita se praeceptoribus suis probavit, ut ipsius causâ vel maxime cuperent. Postea vero quam Vindobonae rerum suarum domicilium locavit, hoc est, in urbe literarum artiumque opibus redundante, idem haec commoda scite liberaliterque in suum suorumque amicorum usum convertit. Arguunt notationes, quas haud paucas e codicibus Vindobonensibus in hoc ipso libello consignavit. — Cuius quae ratio sit? quod consilium argumentumque, ipse scriptor in suâ Praefatione tam lucide ac diligenter explicavit, ut ne verbum quidem addi necesse sit. Proinde quid

secutus sit libri auctor, nemini obscurum esse potest: quid assecutus, censebunt homines docti, publiceque pronuntiabunt. Neque enim is sum, qui vel meâ vel meorum amicorum gratiâ aliorum censuras praeoccupare soleam. Illud dicere non reformido, mihi has plagulas a prelo madentes perlustranti cum alia placuisse Schubarti iudicia, tum hoc inprimis, quod Pausaniae, qui nuper a multis iniquius tractatus est, auctoritatem dextre graviterque vindicare instituit.

Atque huic praefatiunculae iam finem imponere possum, et Lectoribus vale dicere, si prorsus ἀσύμβολος ab hac coenâ discedere velim. Nunc advertit me libelli huius argumentum, quod continetur rebus Argolidis, hoc est, eius orae, in qua nuper certatim peregrinati sunt Britanni, Francogalli, nostrates, et nunc cum maxime peregrinatur vir de nostris literis optime meritus mihique amicissimus Fridericus Thierschius, quem speramus multa in lucem esse prolaturum quae adhuc obruta iacuerunt. Francogalli etiam merito laudantur, quod in Peloponnesum non modo militatum abierunt, verum etiam anquisitum, et exercitui suo viros eruditos adiunxerunt, Regis munificentiâ et Academiae scientiâ adiutos ornatosque. — At vero, ut ingenue fatear quae sentio, illud exspectationem nostram destituit, quod in opere nuper admodum emisso: *Expédition scientifique de Morée ordonnée par le Gouvernement Français à Paris* 1831, meridionalis Graeciae tabula geographica exhibita est a Lapieo (*Lapie*) descripta, bona illa quidem et commenda-

bilis multis partibus, sed tamen non usquequaque nova; cum eiusmodi tabulam desideraremus, quae denuo instituendis mensionibus adeoque iteratis curis eorum, qui illi expeditioni adfuerunt, emendata consignataque esset. Speremus igitur fore, ut sequentibus voluminibus hoc compensare studeant regii illi geometrae, eoque studio se adgregare velint Dicaearcho, qui a Plinio (H. N. II. 65. p. 105 Harduin.)« vir dicitur inprimis eruditus, *regum curâ permensus montes*«. Celebrabantur enim huius Peripatetici καταμετρήσεις τῶν ἐν Πελοποννήσῳ ὀρῶν (Suidas in Δικαίαρχος, cf. Reinesii Observatt. in Suid. p. 68. ed. Chr. Godofr. Muelleri.) Ac dubitari nequit, has Dicaearchi dimensiones montium Peloponnesi in fontibus fuisse rerum Geographicarum Straboni. Nam in descriptione Arcadiae, ubi a Cyllenes montis altitudine definiendâ proficiscitur (VIII. 1. p. 316 Tzsch.), haec profert Geographus: ὄρος ἐν αὐτῇ Κυλλήνη· τὴν γοῦν κάθετον οἱ μὲν εἴκοσι σταδίων φασίν, οἱ δ' ὅσον πέντε καὶ δέκα. Fuit insuper tertia mensura, quae Apollodoro auctori attributa accuratissima videtur C. O. Muellero (in libro: *Die Dorier*. I. p. 64. cf. Apollodori Fragg. p. 400 Heynii). Dicaearcho autem illam mensionem deberi, quae a Strabone secundo loco ponitur, discimus e Gemini Elementis Astronomiae (p. 55 sq. Petavii): Καὶ ἔστι μὲν τῆς Κυλλήνης τὸ ὕψος ἔλασσον ιέ, ὡς Δικαίαρχος ἀναμετρικῶς. (lege e margine Petavii: ἀναμεμετρηκώς) τοῦ δὲ Σαταβυρίου ἐλάσσων ἐστὶ ἡ κάθετος σταδίων ιδ' (γρ. σταδ. δ' marg. Petav.) Praeterea corrigendum est: Ἀταβυρίου. Nam Rhodio illi monti nomen fuit Ἀταβύριον, s. Ἀτάβυ-

ρου ὄρος. (cf. Heynii nott. critt. in Apollodori Biblioth. p. 248) quod nescio qua auctoritate fretus Atabyros nuper scripsit Rostius in *Rhodos* p. 8.

Revertor in Argolidem; cuius descriptionem multis tabulis ornatam exhibuit *Guil. Gell*, Britannus. Londini 1810; qui idem in publicum emisit: *Itinerary of the Morea*, ibid. 1817. Postea vero nostras Carolus Odofredus Muellerus ei peninsulae insignem curam adhibuit describendâ novâ tabulâ geographicâ Peloponnesi. In eius tabulae explicatione adiectâ operi, quod inscribitur: *Die Dorier*, haec posuit (pag. 435) vir clarissimus: »Ueber Nauplia, Tiryns, *Likymnia* verweise ich ganz auf Gell's Argolis, obgleich seine Karte aus dem Itinerar selbst noch in Manchem rectificirt werden kann, was uns hier zu weit ins Detail führen würde.« — Nollem factum, vellem, ut aliis in locis, sui iudicii fuisse Muellerum neque Gelli arbitrio mancipatum. Quid enim Gellus? Hic nimirum ita (in *Argolis* p. 93): »The name of Palamedi may have been taken from that of the heros Palamedes, who came from Nauplia, Strabo; but it seems probable that if there was in ancient times a fortress in this situation, it was named *Lycymnia* (sic) as Strabo assigns to that place a distance of 12 stadia from Nauplia, which agrees very well with the present castle, supposing the road to have ascended the mountain by such a route as would have made id practicable for horses.« Ac licet Gellus hanc coniecturam, in Itinerario suo postea edito, silentio praetermiserit, neque in suis tabulis consignarit,

C. O. Muellerus tamen in suâ Peloponnesi tabulâ geographicâ Licymn*iam* posuit prope Naupliam, et quidem meridiem versus. Adhibeamus ipsum Geographum, quem testem sibi esse ait Gellus (Strabonem VIII. 11. p. 230 Tzsch.) *Τῇ μὲν οὖν Τίρυνθι ὁρμητηρίῳ χρήσασθαι δοκεῖ Προῖτος καὶ τειχίσαι διὰ Κυκλώπων· οὓς ἑπτὰ μὲν εἶναι, καλεῖσθαι δὲ γαστερόχειρας, τρεφομένους ἐκ τῆς τέχνης· ἥκειν δὲ μεταπέμπτους ἐκ Λυκίας καὶ ἴσως τὰ σπήλαια τὰ περὶ τὴν Ναυπλίαν καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς ἔργα τούτων ἐπώνυμά ἐστιν. Ἡ δὲ ἀκρόπολις Λικύμνα ἐπώνυμος Λικυμνίου· διέχει δὲ τῆς Ναυπλίας περὶ δώδεκα στάδια.* Non repetam quae de priore huius loci parte posui in Historicorr. antiquiss. fragmentis p. 71–73, ubi haec ex Hecataei Milesii libris desumta esse conieci. Speluncarum cyclopearum prope Naupliam sitarum in antecedentibus mentionem fecerat Strabo (VIII. 2. p. 212.) Iam, quod his in verbis, quae modo descripsimus, quasi per parenthesin illuc rursus digreditur Strabo, ea res fraudem fecit Gello, ita ut de Naupliae arce eum loqui opinaretur, nec perspiceret, orationem Strabonis denuo redire ad Tirynthis mentionem, huiusque urbis arcem Licymnam ab eo memorari. — Coniuncta haec sunt cum iis, quae Schubartus noster ipse disputavit Partis secundae capite tertio pag. 161 sqq., ubi et alia legimus et vero haec: »Terram hoc modo divisam existimo: Alcaeus, aut si ante patrem is mortuus est, Amphitruo filius Tirynthem accepit; in hac enim urbe invenimus Amphitruonem — Pausan. IX. 11. 1. p. 731. Hesiod. Scut. Herc. 80. 59. — Herculem — Diod. Sic. IV. 33. p. 278. Paus. V. 2.2. p. 378.

— Tlepolemum et *Licymnium* — Pindar. Olymp VII. 24. — Electryoni Midea evenit — Paus. II. 25. 8. p. 169; unde Μιδεᾶτις Alcmene; Theocrit. 13. 20. 24, 1. Eustath. ad Hom. Il. XIX. 114, p. 1175 — *Licymnius* Electryonis filius Midea venire dicitur Pindar. Ol. X. 78. (Debebat Schubartus: *Oeonus, Licymnii filius.*) — Sthenelus Mycenas occupavit — Strabo VIII. p. 578 sq. et ex eo Eusthatius ad Hom. Il. II. 569. p. 290. 14.« — Idem pag. 167 sq., tractans locum Iliadis II. 661. de Tlepolemo et Licymnii caede per eum patratâ, haec posuit (pag. 168.): »Videmus hac narratione Homerica, Tlepolemum in patris domo regia educatum, *ibi* Licymnium occidisse.« Deinde, postquam id Calydone factum negavit, ita pergit: »Rerum naturae maxime convenit, harum rerum scenam Tirynthem fuisse, Herculis regiam; et revera expressis verbis id tradit Pindarus Ol. VII. 24; *Licymnii sepulcrum fuit in Argivo agro*, Pausan. II. 22. 8. p. 162.« De hoc loco classico Pindari tam copiose egit in Dilucidatt. Pindaricc. (I. p. 247 sqq.) Tafelius V. Cl. ut nihil addam nisi hoc unum, recte mihi ex Iliadis loco laudato efficere videri Schubartum, non solum a Pindaro sed etiam ab Homero Tirynthe Licymnii caedem factum prodi. Quod alii Argos huius caedis scenam perhibent, id commode expediri potest, si teneas, Tiryntha illis temporibus Argivis paruisse (vid. Heynii Obss. in Iliad. II. 559 sqq. p. 322.) adeoque Tirynthias res saepiuscule Argolicarum nomine narrari. — Iam his positis proclive sit colligere, Tirynthe, in ipsâ urbe vel certe in arce, se-

pultum fuisse Licymnium. Prohibet Pausanias, qui in Corinthiacis (II. 22. 8.) ita prodit: ἐρχομένῳ δὲ ὁδὸν εὐθεῖαν ἐς γυμνάσιον Κυλάραβιν, ἀπὸ τοῦ παιδὸς ὀνομαζόμενον τοῦ Σθενέλου, τέθαπται δὴ Λικύμνιος ὁ Ἠλεκτρύωνος κ. τ. λ. Quae Periegetae verba in suam *Argolidem* etiam retulit Gellus p. 61: »In the direct way to the gymnasium, which is called that of Cylarabus, is the tomb of Licymnius, the son of Electryon.« — Nobilitatus postea est idem locus obitu Pyrrhi regis; quem Plutarchus refert (in Pyrrho XXXIV. p. 77 ed. Baehrii nostri, cuius Annotationem conferas velim p. 243. sq.), posteaquam in proelio apud Argos commisso primum lancea leviter ictus, deinde tegulâ Argivae mulieris manu in caput deiecta graviter vulneratus esset, ex equo prolapsum ad Licymnii monumentum concidisse: — Αὐτὸς δὲ κατενεχθεὶς παρὰ τὸν τοῦ Λικυμνίου σηκὸν ἔπεσεν, ὑπὸ τῶν πολλῶν ἀγνοούμενος. Quod si haec cum Pausaniae verbis conferas, consequens est, Licymnii monumentum, ubi Pyrrhus obiit, vicinum fuisse gymnasio Cylarabi adeoque ipsi urbi Argorum, quandoquidem res ipsa docet, regem bis vulneratum, nec sui compotem, frenis proiectis, non per longum intervallum haerere potuisse in equo. Et cum Livius (XXXIV. 25. 2.) diserte dicat, hoc gymnasium »minus trecentos passus fuisse ab urbe« (Argorum): haud dubie efficitur, ipsum Licymnii sepulcrum exiguo intervallo ab eadem urbe dissitum fuisse. — Quae cum ita sint, haec pro certis poni posse arbitror: primum, arcem illam Licymnam (quod vocabulum accuratius scribi videatur: Λίκυμνα, sicut

alius Argolidis locus Πρόσυμνα, Stephano Byzantio p. 647 Berkel. et ipsi Straboni VIII. 2. p. 232 cognitus; neque vero Λικυμνία) eam igitur arcem ipsi urbi Tirynthi contiguam vel certe vicinam fuisse (quod vix intelligas e confusâ Cellarii in Geographiâ Antiq. II. 13. p. 1217 notatione); neque proinde Naupliae tam vicinam, quam coniecturâ ductus eam posuit Gellus eumque secutus C. O. Muellerus, hic quidem in tabulâ suâ geographicâ infra Naupliam meridiem versus propemodum; deinde, illam arcem probe esse distinguendam a Licymnii sepulcro, secus atque alii suspicati sunt, Tirynthe, in urbe vel in arce illud sepulcrum quaerentes. Ac si hoc sepulcrum uno vocabulo designandum erat, debebat τεμενικὸν usurpari. Dicitur enim Plutarcho l. l. ὁ τοῦ Λικυμνίου σηκός, ex usu accuratiore pedestris orationis; quo cuiuslibet heroïs τέμενος proprie dicebatur σηκός. Docet Pollux (in Onomast. I. 1. 6. p. 5. Hemsterh.). — Quocirca, ut arx illa appellatur Λικύμνα (vel forte Λίκυμνα), ita sepulcrum uno nomine appellari debebat: τὸ Λικύμνιον vel τὸ Λικυμνεῖον. Neque denique in Tirynthis ruderibus sepulcri reliquiae superesse possunt, verum, si modo, arcis.

Mycenes rudera, de quibus alibi me dicere memini, rursus in mentem revocat hoc ipsum libelli huius caput, quod *Regnum Mycenarum* inscribitur. Idem enim Guilielmus Gell eodem in libro illorum moenium plures icones exhibuit et vero tabulâ 10 unam, quae portae leonum, cuius Pausanias (II. 16. 4) mentionem facit, aliquanto ampliorem speciem representat, haec addens in descriptio-

ne ipsâ (pag. 37.): »Between them (the lions) is a semicircular pillar, which might be called Doric; *but it diminishes from the capital to the base*, which consists in a double torus.« Nolo nunc recolere, qualium coniecturarum ex istâ Gelli delineatione et explicatione ansam captarit Hirt V. Cl. in Frid. Aug. Wolfii Analectis Literariis (I. p. 156 sqq.): illud hac datâ occasione referam, esse penes me eiusdem portae Mycenaeae picturam linearem, a Fauvelio, Francicorum per Graeciam negotiorum nuper curatore, adumbratam, quae illam columnam in basi minime contractiorem monstrat, omninoque illius portae grandiorem aliquanto nobilioremque adspectum praebet, nec improbatur viro illustri *O. M. a Stackelberg*, qui ea moenia ipse inspexerat; a quo perito monumentorum veterum aestimatore cum regionum Graeciae tum Graecanicae artis operum praestantes descriptiones partim accepimus, partim accepturos speramus.

Possum ab illâ extremâ antiquitate pedem referre ad propiorem, et unam alteramque inscriptionum Peloponnesiarum, quas nuper Expeditioni illi Francicae adiunctus vir mihi amicus mecum communicavit, hoc loco descriptam in publicum emittere. Et sunt in iis, quae Ἀργείων et τῆς πολιτείας Ἄργους mentionem habeant.

Est etiam Latina, apud Argos in planitie exstans, in Apographo sic exhibita:

Q. CAECILIO — C — F. MEFIO.
IMPERATORI. ITALICI.
QVEI. ARGEIS. NEGOTIA.

Non opus erat Oedipode divinare: *Metello.* — Postea vidi, eandem inscriptionem legi apud Gruterum p. CCCLXXVII. nro. 5; ubi ea ex Apiano desumta et apud Argos in campis Macedonicis reperta dicitur. Gruteriana autem lectio ita variat: »Q. *Cai*cilio C. F. (adscriptâ notâ: »C pro Q, ut intelligatur Macedonicus [*Gudius*].)« *Metello.*«, et in clausulâ: Nego*ciantur.* Quodsi igitur accurate descripta est haec Epigraphe, maiorem temporum iniuriam passa est inde a saeculo decimo sexto, quo ea ad Apianum pervenerat. — Quae cum ita sint, equidem ampliandum censeo, et a reliquis etiam illis marmoribus literatis abstinendum, donec ea nobis ipsi Galli eruditi emendatiora impertiant. — Itaque vale Lector, et alumni nostri nostrisque conatibus fave.

Scribebam Heidelbergae
Idib. Decembr. MDCCCXXXI.

PRAEFATIO AUCTORIS.

Timidus et haesitans prodire audeo in venerandum Philologorum collegium, tiro ipse et quasi iuvenis ad viros hac nostra arte veteranos, quorum nomina eruditionis atque doctrinae amplitudine, studiorum subtilitate, sermonis elegantia, certa et luculenta scientia, humanitatis denique laude ab omnibus celebrantur. Quem tandem ejusmodi concilii verecundia non absterrebit ab arrogantiae et temeritatis crimine? At enimvero arrogantiae tantum et temeritatis! nam qui probo studio et modesta inquisitione veritatem eruere adlaboravit, et quae ipsi visa sunt proponit sine studio et ira, non vexatores inveniet, sed benignos iudices suavesque adiutores; quo enim quisque est doctior et ingeniosior, eo in diiudicandis aliorum erroribus est indulgentior, quum perspectum habeat, errorem labem esse humanam, nec raro veritatem errando esse inventam, dummodo absit pervicacia. Qua ratione commotus et confisus hominum vere doctorum humanitate et indulgentia (mordaces non moror) hunc libellum, studiorum primitias, in lucem publicam emittere volui, non quod perfectum aliquid omnibusque numeris absolutum perfecisse mihi videar (nemo enim me ipso melius cognitum habet, quam exilis atque lacunosus meus sit labor, et quanto intervallo distans ab eo quod iure suo fortasse postulari poterat) sed sperans fore ut homo me doctior et ingeniosior hoc opusculo ipsisque eius defectibus commoveatur ad accuratius explorandam difficilem hanc nimisque neglectam materiam; quae quam parum hucusque sit culta, et quantis curis adhuc indigeat nemo non antiquitatis Graecae curiosus, me etiam non monente, satis perspiciet. Argumenti difficultas et incredibilis confusio — citius vero ex errore quam e confusione emergere veritatem, egregie Baco docuit — reique ipsius exigua iucunditas, vel desperata potius interdum ariditas aequos, spero, mihi parabit iudices, praesertim quum haec res a nemine adhuc data opera tractata sit.

Exstant quidem tabulae genealogicae a viris eruditione et iudicio praeclaris v. g. a Theophilo Platz, Car. Fr. Sal. Liscovio, Saxio, L. C. F. Petit-Radel confectae, ut taceam de iis qui data occasione stemmata composuerunt, ut v. g. Th. Gale et Heynius ad Apollodori Bibliothecam, Wiedasch ad Pausaniae versionem Germanicam, aliique; sed omnes instituti fine et ratione ita differunt, et tam parum exhaustam rem praebent, ut neutiquam actum is agat, qui sub censum iterum revocare integram hanc quaestionem instituerit. Galei enim et Heynii tabulae, Apollodori editionibus adiectae, ad auctoris huius mentem confectae, ad altiorem laudem non adspirant, quam in tabularum formam redegisse Apollodori mythologiam. Idem dicendum est de Wiedaschii tabulis ad Pausaniam. Maioris vero moliminis sunt Fr. Theoph. Platzii Tabulae genealogicae ad mythologiam spectantes rel. Lips. 1820. Habemus in iis farraginem nominum unde unde congestorum et in unum corpus quasi conflatorum, unde quid utilitatis redundare possit, me plane non videre ingenue fateor; nuda enim nomenclatura, fontium testimoniis et criticae rationibus destituta, quid cogitari potest sterilius, quid iniucundius? In componendis tabulis quam rationem secutus sit auctor, ipse in praefatione declarat; in usum scholarum excerpsit Ovidii Metamorphoses, iisque usus est »tanquam fundo et fonte opusculi«; »quae erant reliqua secundum haec in ordinem redegit«; »adiit deinde quoque Homeri, Hesiodi, Sophoclis, Virgilii et Horatii opera omnia« auxitque materiam aliis quibusdam auctoribus qui in scholis potissimum leguntur. Sic tabulae hae »quasi sponte« exstitere. Sed auctori »non opus visum est, illis fontibus unde hausit semel laudatis, cuique nomini in tabulis auctorem et capita et versiculos ubique addere, ne conspectus familiarum nimis turbetur«. Qua quidem in re me neutiquam habet laudatorem; qui enim vel mediocriter his studiis genealogicis est imbutus, hanc rei tractandae rationem esse inversam, ne dicam perversam, facile perspiciet; ubi Ovidius fundus est et fons, Homerusque in subsidium tantum vocatur, ubi Pherecydis, Acusilai, Pausaniae, Apollodori mentio non est, sana de genealogiis doctrina existere nequit; ut praetermittam silentio in exercenda arte critica negligentiam; quomodo enim e diversissimis veterum fabulis in unum coniectis, unum quasi corpus componi possit, alii videant; quid ego ea de re sentiam expositurus sum infra. Eadem fere dicenda sunt de Car. Fr. Sal. Liscovii libro (Systema genealogiae mythologicae. Lips. 1822); nominum farrago, diversa uno stemmate copulata, auctorum loci non laudati; et quae non minima est incommoditas, stemmata non a principio ad finem perducta, sed ubi vel Deus vel Dea intervenit, abrupta, et

ad hunc Deum, tanquam novae stirpis principem, genealogia relata; vitia in nominibus minus frequentia quam in Platzii tabulis. Multo maioris momenti est opus Petit-Radelii (Examen analytique et Tableau comparatif des synchronismes de l'histoire des temps héroïques de la Grèce. Par L. C. F. Petit-Radel, Membre de l'Instit. d. Fr. etc. Paris 1827. 4.), liber eximiae eruditionis et indefessi laboris, qui vero quum chronologicis maxime quaestionibus dicatus sit, et ita stemmata *hoc tantum respectu* examinet neque integra neque continua, a propositi mei ratione fere est alienus; quare raris tantum in locis ad eum redibo, ubi veterum auctoritas ab eo recedere me cogit. Quod ne cavillandi studio a me fieri putes, perpendas velim, errores a viris minorum gentium commissos facile evanescere; ubi vero homini magno humani aliquid accidit, id plerumque propagari ejusque auctoritate quasi sanciri. Saxii tabulas genealogicas ob libri raritatem inspicere non contigit; uti vero e Platzii praefatione colligo, ejus in componendis tabulis ratio parum recedit ab ea quam Platzius ipse secutus est, praeter quod auctorum loci e quibus quaeque hausta sunt, laudantur. Fortasse etiam Rein. Reineccii syntagma de familiis huc pertinet; librum non vidi. Singula praeterea stemmata per multos libros dispersa sunt, ut vel occasio opportuna se praebuit vel necessitas flagitavit; in quibus hoc loco immorari opus non videtur, quum virorum doctissimorum finis a meo omnino diversus hoc labore me fungi neutiquam exigat.

Jam quid ego mihi velim paucis dicam; nam de studiorum genealogicorum utilitate fusius disserere supervacaneum puto, quippe quae ab omnibus antiquitatis curiosis uno quasi ore praedicatur. Equidem quum in Pausania legendo occupatus eram, saepe in genealogiis haerebam; libros igitur unde auxilium peterem circumspexi; irrita plerumque spe abire iussus ipse ad concinnanda stemmata me accinxi meum in usum; postea publici iuris ea facere constitui, sperans fore ut alii harum rerum studiosi opella mea fortasse adiuventur, vel ad copiosiorem huius argumenti expositionem incitentur.

Multa quidem supersunt ex antiquitate Graeca stemmata stemmatumque fragmenta, sed plerumque ita sibi invicem repugnantia et tam parum inter se concordantia, ut quovis fere fragmento difficultas augeatur, quum singulae hae particulae e contextu suo avulsae neque claram imaginem exhibeant eius stemmatis unde depromtae sunt, neque aliis fragmentis aliunde petitis facile accomodentur; quo fit ut ab altera parte testimoniorum exilitate, ab altera vero abundantia impediatur is qui altius in familiae alicuius historiam descendere conatur. Quarum difficultatum ea non

est minima, quod ad primos fontes redire, temporis iniuria raro nobis est concessum; quam vero sit difficile et quasi desperatum, ex abruptis, disiectis, undique colligendis, saepissime sibi repugnantibus membris corpus componere non quidem integrum, sed integritatis tantum speciem referens, ii optime sciunt qui ipsi in his studiis versati sunt. E remotis illis nobisque occultis fontibus hauserunt scriptores qui nobis auctores sunt; sed is est antiquitatis mos, ut scriptores ipsi quidem remotiores adeant fontes, inde vero hausisse satis habentes illos indicare plerumque negligant, nisi interdum occasione data; v. g. Pherecydem diversa tradere monent. Fontes igitur formamque stemmatis uniuscuiusque primitivam investigare opus foret non minus necessarium, quam plerumque est irritum, praesertim quum qui nobis auctores sunt, v. g. Apollodorus, ipsi jam non *ex eodem fonte* rivulos suos derivaverint, sed modo ex hoc, modo ex illo haurientes fonte, non illibatam et integram stirpis descriptionem exhiberent, qualem v. g. Hesiodus, Pherecydes, Acusilaus tradiderant, sed e diversis iam elementis compositam, ne dicam deformatam.

Quis autem est qui unde singula illa elementa deprompta sint docere audeat? quid? quod in ipsis laudandis auctoribus non raro dissentiunt genealogiarum scriptores, ita ut alius v. g. e Pherecyde aliquid referat, alius ex eodem eadem de re plane diversa. Exempla rem illustrabunt, quae lubens ex Inachidarum familia elegi. Apollodorus II, 1, 3, 3. a Pherecyde Argum Panoptem Inachi filium nuncupari docet; ex eodem Pherecyde Scholiastes ad Eurip. Phoeniss. 1123. Argum Panoptem Arestoris filium laudat. Eusthatius ad Homer. Il. III, 74. p. 385., Hellanicum testem secutus, Pelasgum, Jasum et Agenorem, Phoronei filios nuncupat; ex eodem Hellanico eosdem tanquam Triopae filios laudat Scholiastes Venet. ap. Villois. ad dictum Homeri locum.

Cautissime igitur est procedendum in constituendis stemmatibus, ita ut quamvis suum cuique reddere non semper possimus, sedulo tamen caveamus ne diversa misceantur. Monstri enim simile foret, si eodem in stemmate modo Hesiodum, modo Pherecydem, modo Hellanicum secuti tabulam effingeremus, quae neque Hesiodi, neque Pherecydis, neque Hellanici, neque alius denique cuiusquam, sed ex omnibus his composita et quasi coagulata esset. Quod peccatum dico *compositione*. Exemplo res illustretur. Tzetzes ad Lycophr. 177. p. 25 Potter. Inachi genus exponit usque ad Argum, Niobae filium; unde hortulos suos irrigaverit Grammaticus non nimis lepidus vix liquet; e Pherecyde vero, quod infra probabitur, eum non hausisse est certissimum. Nonne igitur ridiculum foret, primam stemmatis partem usque ad Argum e Tzetzae relatione describere et huic

e Pherecyde (ap. Schol. Eur. Phoen. 1123.) Criasum subiungere cum sobole? praesertim quum ex Apollodori comparatione (qui eundem ac Tzetzes secutus est auctorem) videamus a Pherecyde Inachi stirpem ab Argo usque ad Argum Panoptem diverso plane modo deductam fuisse, quam ab Apollodori auctore id factum perspicimus.

Neque vero eiusmodi compositio solum reiicienda est et plane improbanda; sed videndum etiam est, ne *diversa confundamus*, h. e. ne ab omnibus omnia recipientes unum inde corpus effingamus, quod omnino deforme tantum abest, ut varia membra iusto ordine componat, ut turbet ea et aliud per aliud quasi destruat. Reprobandae istiusmodi *confusionis* exemplum hoc foret: Argo, Niobae filio, Pausanias II, 16, 1. filios tribuit Pirasum et Phorbantem; Apollodorus II, 1. quattuor, Jasum, Criasum, Epidaurum et Pirantem; Scholiasta ad Eurip. Orest. 920. quinque Tirynthem, Epidaurum, Criasum, Ecbasum, Pirasum. Jam si Argi filios hoc modo recenseremus: Pirasus, Phorbas, Criasus, Ecbasus, Jasus, Epidaurus, Tiryns, haec confusio minime foret ferenda. Singula potius stemmata, quantum fieri potest, secundum varios auctores seorsum sunt exponenda— quantum fieri potest, inquam; saepissime enim ad fontes primos redire concessum non est; quare rivulos inde deductos ordine continuo singulos persequi frustra tentabimus; tum sane (opus nequaquam spernendum) satis fecisse videmur, si dispersos vel diversorum fontium rivulos in unum colligimus. Religio igitur non est, fragmenta quorum auctores incogniti sunt, utcunque inter se componere, vel reliquis stemmatibus adaptare, nisi ubi elementa sibi repugnant, ita tamen ut in commentario quomodo res sese habeat exponatur, et quae veterum auctoritati, quae coniecturae debeantur doceatur.

Erunt haud dubie qui plenitudinem absolutam in colligendis nominibus desiderent, neque negaverim, eam aequo fortasse jure postulari; reprehensionem non recuso, nec aliam propono excusationem quam virium debilitatem, propositi mei finem et laboris taedium. Quis enim est, qui lubens bibliothecam perlustrare velit, ut unum alterumve inveniat reconditum nomen, quod salva forsitan historia latere potuisset? Mihi certe neque animus suppetit, neque patientia, praesertim quum non videam quae tandem inde utilitas redundare possit assidue omnia aetatis mythicae nomina colligere ab otiosa saepissime Graeculorum industria inventa. Valeant igitur quinquaginta Thespiadum nomina, valeat bis quinquagenarius numerus Danaidum Aegyptique filiorum, valeat innumera Herculis proles et quae sunt reliqua; sunt haec nomina praetereaque nihil!

Genealogiae studium, si per se spectamus, aridum est,

sterile atque insulsum; at enimvero tanquam chronologiae et historiae antiquissimae fundamentum et poëseos adminiculum dici non potest, quantum habeat utilitatis adeoque suavitatis. Chronologiam aetatis mythicae e stemmatibus restituere plures conati jam sunt et veteres et recentiores, e quibus unum Petit-Radelium nominasse sufficiat, qui incredibili studio pleraque stemmata in systema chronologicum numeris annorum expressum redegit, atque hoc modo tabulam confecit in qua neque studium, neque doctrinam, neque assiduitatem, neque denique sagacitatem desideres, at quae — ut dicam quod sentio — rem neutiquam exhibet peractam. Quae quidem non tam viri doctissimi est culpa quam ipsius argumenti, quod expositionem ad annos digestam omnino respuere videtur. Difficultates, accuratius examinanti facile patebunt. Ubi enim terminus non est definitus, unde proficiscaris (de belli Troiani tempore quam diversa traduntur!), ubi certa annorum computatio desideratur, ubi incogniti magistratus periodici, ubi denique maxima in relationibus ipsis confusio, quis tandem homines et res gestas secundum annos digerere et in ordinem accuratum chronologicum redigere conabitur solis confisus stemmatibus, et qualibus stemmatibus! Fieri posse ego neutiquam negaverim, ut vir doctrina et diligentia satis instructus e variis stemmatibus *fide historica comprobatis*, quamvis absit annorum computatio, tabulam chronologicam componat, in qua generationum series, staminum affinitates, hospitia, res gestae et quae sunt reliqua subteminum quasi erunt loco. Sed vel in hoc fundamento historico sedulo est cavendum, ne aliud quid quam *tabulam* quam vocant *synchronisticam* dedisse nobis videamur; sicubi enim annorum numerus additur, error in promtu erit. Rem exemplo illustratam sic perpendas: sit tibi bellum quod anno huius saeculi tertio decimo gestum est belli Trocani loco; jam tibi dabo stemmata omnium principum qui huic bello interfuere, integra, fide historica composita, deductis vero omnibus quae ad temporis computationem pertinent; atque ex te peto, ut usque ad originem familiarum adscendens in ordinem chronologicum eas redigas; quod si feceris fac comparationem et quantopere tui numeri a veris numeris differant ipse videbis.

At quam diversa in stemmatibus heroicis est ratio, quanto impeditior, quanto desperatior! quippe quae neque exstant integra, neque fide *historica* comprobata, sed mutila, lacunosa, a recentioribus et recentissimis ficta, reficta, ornata, deformata, ita ut genuinam et historicam eorum formam restituere per se jam animi humani vires excedere videatur. In computandis vero annis veteres jam ad coniecturas erant redacti, quare γενεῶν passim invenimus mentionem;

at quam ieiuna haec sit notio atque parum accurata inde concludi potest, quod eadem vox modo generationem, modo aetatem, modo adeo imperium (sic v. g. ap. Euseb. chron. p. 27. ed. Scalig. ἐν γενεαῖς ιδ ἤτοι βασιλεῦσιν. et pag. 26. ἐν γενεαῖς μὲν ἤτοι βασιλεῦσι κς.) significat; atque ne conveniunt quidem de numero annorum quos aetas complectitur! — Ceterum e veteribus plures iique doctissimi, chronologiam mythicam illustrare conati sunt, ut v. g. Eratosthenes, Apollodorus, Castor, Oenomaus, Cornelius Nepos aliique, quos passim expresserunt Eusebius aliique Chronicorum auctores; at illorum opera perierunt; de opere Eusebiano vero quatenus ad quaestionem nostram pertinet, copiosius disserere alienum ab hoc loco puto, quum argumentum chronologicum omnino ab hoc libello abesse voluerim; quare raro tantum (rarius fortasse quam debuissem) Eusebium inspexi, quod semel monuisse sufficiat.

Historia Graecorum antiquissima solis fere genealogiis innititur; subesse enim stemmatibus elementa historica nullus equidem dubito, nec erunt, puto, qui plane hoc negent; sed in eo fere maxime versatur difficultas, ut quid ad historiam pertineat, quid poëtis et mythographis adscribendum sit, accuratius distinguamus. Quod ut facere possimus, non dico fidenter sed tantum non casu fortuito ducti, necessarium foret *stemmatum ipsorum* antea conscribere *historiam*, neque stemmatum tantum sed fabularum etiam ad ea pertinentium. Sic igitur, (ut subsistamus in quaestione nostra Argiva) primo docendum esset, quomodo Inachidarum genealogia ab Hesiodo descripta (nam fuit is, ni fallor, de hac re auctor antiquissimus), a Phoronidis auctore, ab Eumelo, Acusilao, Pherecyde, Hellanico aliisque usque ad Apollodorum mutata fuerit, quid traditione antiqua nitatur, quid a recentioribus vel historicis vel poëtis additum sit, et, si fieri potest, quibus e fontibus haustum. At quis est qui vel maxima instructus doctrina et sagacitate huic operi parem se iudicet, ubi e documentis antiquioribus nihil nobis est reliqui nisi exilia et disiecta fragmenta; quo fit ut perspicuam et continuam singulorum stemmatum historiam deducere posse non videamur. Sed non impedit haec difficultas, quominus fragmenta illa collecta utcunque componamus, et modesta inquisitione tenebrosa aetatis mythicae spatia illustrare conemur; saepe enim paucis milliariis viae directio satis accurate indicatur.

Quod secundo loco attinet ad *historiam fabularum* mythicarum, dici non potest quantam lucem ea saepe accipiant stemmata ipsa. Recensendae sunt hoc nomine in quaestione nostra praesertim fabulae de Phoroneo, de Danao eiusque filiabus, de Proeto et Acrisio, de Perseo et prae

omnibus de Hercule. *) Multa est aetas nostra in dilucidandis et exponendis his fabulis, neque negari potest quamplurima praeclare esse illustrata, nec pauca nunc primum lucem suam accepisse; at ab altera parte non est quod infitiemur, plerumque haec argumenta obiter tantum et data occasione ad certum quendam finem fuisse tractata et raro tantum historiam fabulae ipsam fuisse *finem*. Sed poscit sibi haec quaestio ingenium bene subactum, sagacitatem haud vulgarem, doctrinam et antiquitatis cognitionem eximiam, laborem indefessum et animum, vitam fortasse integram his disquisitionibus impendendi; literas vero haud mediocriter his studiis rite institutis promoveri, non est quod dubitemus.

Equidem stemmatum historiam non dare, sed praeparare tantum materiamque congerere volui, respectu praesertim habito ad *historiam* aetatis heroicae, quare commenta Grammaticorum et poëtarum recentissima silentio saepissime praetermisi, Tragicosque omnino raris tantum in locis adii. Recte etiam ob hunc libelli finem historicum omnes quaestiones abesse putavi, quae aut mythologiam spectant aut fabulam tragicam. Omnia autem antiquitatis graecae stemmata regia (nisi displicuerit instituti mei ratio viris doctis) pertractare apud me constitui, atque ita quidem ut singula ad belli Troiani tempora, vel ubi necessarium videbitur usque ad Heraclidarum reditum deducerem. Ut vero neque quaestiones genealogicae historicis, neque historicae genealogicis turbentur, bipartito rem exposui, et quantum fieri potuit salva claritate, prima parte disquisitiones tantummodo *genealogicas*, parte secunda brevem *historiae* adumbrationem proposui. Id vero teneant lectores velim ex mea mente partem genealogicam esse primariam; caput historicum vero eo fine additum esse, ut quaestiones genealogicae evadant luculentiores, quare nemo, spero, copiosam et profundam expositionem antiquissimae Graecorum historiae desiderabit, quam dare neque volui neque hoc tempore potui. Ex hoc ipso operis fine patet etiam *familiae regiae* potius quam *populi* exspectandam esse historiam. Ubi fortasse latius evagatus sum quam debuissem, resecent quibus id displicet.

Omnino in constituendis stemmatibus et narranda historia id sectatus sum, ut nihil doceatur quod veterum testimoniis non possit comprobari. Nolo equidem vituperare eorum rationem, qui nostra potissimum aetate in docenda historia antiqua, ingenio (interdum nimis fortasse) indulgen-

*) His ipsis diebus Vogelii librum indicatum reperi, cui titulus: „Hercules secundum Graecorum poëtas et historicos antiquiores descriptus et illustratus"; continet haud dubie historiam fabulae de Hercule, valde a me desideratam. Nondum vidi librum.

tes, res gestas non secundum veterum testimonia *iusto* examine diiudicata, sed secundum ideas, (quas vocant) et maiorem verisimilitudinis speciem (quae quam lubrica sit et parum exacta non est quod moneam), saepe fortasse opinione quadam anticipata occupati reformare tentant; quae ratio quamvis ingeniosior saepe, me iudice, quam verior, dici non potest quantum contulerit ad historiam Graecorum et Romanorum bene tractandam altiusque explorandam; at vero si qua alia in re in iis quaestionibus cautionem adhibendam arbitror, quae circa origines populorum et primam historiam versantur, ne ingenio abusi coniecturas nostras pro historia substituamus. Qua re commotus in tanta argumenti obscuritate eam viam tutissimam iudicavi, ut stricte veterum testimonia secutus omnia quae ex solo ingenio hausta viderentur ab hoc labore relegarem. In laudandis auctorum locis (quos contextui ipsi inserere commodissimum mihi visum est) parcus vocari quam prodigus malui; non video enim quid habeat utilitatis eadem de re testimoniorum agmen congerere, quae rem ipsam non promovent et viris eruditis fucum non faciunt, quum huius rei gnari satis sciant quam parvo pretio haec merx comparetur.

Fasciculus hic quem primum emitto continet Argolica sive Inachi stirpem, non quidem integram (nam Thebani etiam reges et Sicyonii et Arcades aliique ab eodem descendere dicuntur), sed quatenus Argolidem spectat; et praeterea Amythaonis prosapiam, quae quamvis ad Aeolidas referenda sit, ab Inachidarum et Argolidis historia separari nequit, quare a reliqua Aeoli stirpe avulsos, hoc loco Amythaonidas explicandos mihi sumsi; quod minus necessarium mihi visum est in Pelopidis, quorum pars est in historia Argiva; narravi itaque de Atreo, Thyeste cet. quae narranda putavi, genealogiam vero in alium locum reservavi, ubi Pelopis stemma exponetur. Ceterum historiam usque ad Heraclidarum reditum deduxi, obiter extrema, quae ab aliis egregie iam sunt exposita. Troezenis, Epidauri, Hermionae cet. historiam hoc fasciculo omitti iis mirum non videbitur, qui non Argolidis sed familiae regiae historiam a me conscribi reminiscuntur.

Jam denique de fontium usu quaedam dicturus in principio statim mihi cum Graecis tantummodo rem esse enuntio. Multa quidem heroicas genealogias spectantia in Romanorum auctoribus reperiuntur; sed quum hi recentiorum poëtarum omnes fere sequerentur rationes, quas vel nude recepere vel ipsi amplius exornarunt (erant enim ipsis hae fabulae nihil nisi ornamenta poetica), ab eo quod nostri consilii est alieni visi sunt; quorum e numero fortasse excipiendi erant Ovidius et Hyginus, quos paucis in locis con-

sului, data potius quam quaesita occasione; magis vero trahebant Graeci.

Perierunt ex historia Graeca antiquissimae quaeque fabulae mythicae et regum genealogiae; per secula enim ore et narratione propagatae, vatum deinde carminibus receptae, ad Homerum, quod dubio carere videtur, mutatae iam et refictae descenderunt, quae quidem sors est naturalis omnium rerum, quae vel in maxima religione traditione tantum et narratione propagantur. Habemus igitur apud Homerum fabularum et genealogiarum formam non primitivam, at antiquissimam, quamvis eius stemmata, quum nullum eorum in tempora nimis antiqua adscendat, ad veritatem satis accedere videantur.

Hesiodi genealogiae heroicae temporum iniuria perierunt — eius enim theogonia ab hac quaestione maxima ex parte aliena est — si abrupta quaedam excipias fragmenta, quorum contextum vix licet coniectura restituere. Laudantur eius Catalogus, s. Catalogus feminarum, s. Catalogus feminarum heroinarum; porro genealogiae heroicae et Eoeae magnae, quae omnia eiusdem carminis nomina fuisse putantur. Cf. Heyne in Appendice Scriptor. ab Apollod. laud. s. v. Hesiod. p. 358. et Siebelis. ad Pausan. IX, 32, 4. ib. laud. . Sequuntur poëtae cyclici, cosmogoniarum, theogoniarum, heroogoniarum conditores (de quibus, ut de sequentibus, bene exposuit Heynius in Commentatione de Apollodori Bibliotheca p. XXIX. seqq., ad quem ne longus sim, lectores ablego); sequuntur poëtae tragici et lyrici, qui »fabulis pro ornamentis poëticis usi in iis adhibendis id maxime sectati sunt, ut ad consilii rationem, carminis naturam, animi lubitum fabulas tractarent, laudemque in hoc ipso quaererent, si fabulam ingeniose variarent et vulgata novo modo exponerent. Ita ab historiae et famae acceptae fide omnino est discessum. Veteres fabulas argumentum carminum ac fundum constituerunt, dramaticae autem poëseos naturae consilioque eas ita accommodarunt, ut interdum vix umbra aliqua antiquae narrationis superesset. Tota haec fabularum stirps et natio, ut ita dicam, segregari debebat a ceteris.« Haec Heynii verba lubens exscripsi (l. d. p. XXXII.) quum quamvis vir Cl. de fabulis mythicis in universum agat, ad heroum genealogias egregie applicari possint. Bene etiam idem in sequentibus docet, quomodo grammatici »tragica haec argumenta in acceptum ab antiquis mythorum ordinem intulerint omniaque temere et prave miscuerint.« Atque inde sane inextricabilis illa confusio quam maxime orta est, quae genealogias Graecorum heroicas turbat.

Maioris imo maximi momenti sunt auctores qui abiectis poëtarum dramaticorum additamentis et ornamentis ad

rationes historicas revocare studuerunt antiquitatis fabulas regumque genealogias; quorum primi quamvis nihil aliud fecisse videantur quam ad orationem solutam refingere poëtarum carmina, principes tamen artis historicae habendi sunt; quales sunt Pherecydes, Acusilaus, Hellanicus, Eumelus, Hecataeus aliique, de quibus singulis videndi sunt qui eorum fragmenta collegerunt, viri doctissimi Fr. Creuzer (quem praeceptorem et fautorem veneror) et Fr. Guil. Sturz. Sed quum horum nullius opera integra ad aetatem nostram pervenerint, admodum est difficile, e fragmentis abruptis veterumque testimoniis sanum ferre iudicium de instituti ratione et argumenti tractatione qua usi sunt hi auctores; difficilius etiam de fontibus eorum definire, quum ipsa eorum opera perierint, et illa quorum auctoritate nituntur. Nemo enim Pherecydem, Hellanicum, Acusilaum (cuius narratio de tabulis aeneis a patre inventis — Suidas s. v. Ἀκούσίλαος. cf. Id. s. v. Ἑκαταῖος — pro explosa, spero, habenda est) aliosque id generis scriptores, fontibus primariis esse accensendos dixerit; historiae fundamentum ipsis fuere epicorum veterum carmina, quamvis non negaverim multa ab illis hausta esse e narrationibus ore et traditione propagatis, praesertim in historiis gentium singularum et urbium specialibus, quas collectas historiarum corpori inserere haud inutile sane opus fuit. Hoc modo e veterum poëtarum fabulis et traditionibus collectis historia contexta est quae si criseos aberat acumen, forma tantum et oratione soluta ab epicorum carminibus diversa fuisse videtur. Sed ne haec quidem artis historicae principia ab aetate invida nobis transmissa sunt; servata sunt fragmenta unde perspicere possimus, quantam iacturam passi simus. Habemus itaque in Pherecydis, Hellanici, Hecataei, Acusilai aliorumque fragmentis non solum particulas horum auctorum, sed pretiosa etiam antiquitatis remotioris rudera. Plerique omnes huius classis auctores Graecorum res a mythico repetebant tempore, et praefixis heroum genealogiis et fabulis, in quibus maxime consistebat primi aevi historia, ad sua tempora descendebant.

Mox aliud scriptorum genus exortum est; qui non occasione data heroum stemmata exponerent, sed qui ex professo genealogias illas tractandas et examinandas sibi sumerent; quod factum est a Grammaticis praesertim qui eo florebant tempore quo fabulae hae mythicae atque genealogiae e vita publica in eruditorum se receperant musea, et e populi memoria emortuae virorum doctorum disquisitionibus locum praebebant et materiam, ita ut huius aevi genealogis nulla alia praerogativa concedenda videatur, quam quae ex uberiore fontium usu sua sponte nascitur. Primo loco nominanda est Apollodori Bibliotheca quae, mutila quidem et

lacunosa et si quae alia criticorum auxilio indigens, quamvis elegantiae et concinnitatis titulo parum commendabilis, laudem tamen suo iure sibi poscit tanquam armamentarium antiquitatis bene satis instructum. Collegit enim Apollodorus fabulas mythicas eo consilio, Heynio teste (l. d. p. XL.) »ut uno volumine proponeret compendium eorum mythorum, qui a poëtis maxime essent frequentati, inprimis qui in cyclo epico occurrerent, quibus attexuit tamen quae in aliis poëtis, etiam in tragicis et lyricis, occurrerunt.« Utinam placuisset Grammatico fontes ubique indicare, unde singula hausit; sed non erat is antiquitatis mos. Dici vero nequit, quantopere haec negligentia impediat disquisitiones nostras, quum non appareat, num singula stemmata ex unius eiusdemque auctoris sententia exposuerit (quod minus est probabile); an ipse e dispersis apud varios auctores particulis, collectis unum quasi corpus composuerit, indeque stemmata finxerit, quae si *integra* spectamus et tanquam *unum corpus* neque traditionis neque veterum carminum auctoritate sancita, eam tantum mereantur fidem, quam quisque pro suo iudicio de Apollodori ingenio et doctrina, ipsis tribuere voluerit. Laudantur quidem in Bibliotheca haud raro antiquiores auctores (quorum indicem confecit Heynius ad calcem Apollodori F. 11. p. 351 sqq.), sed in locis tantum praecipue ambiguis, ubi ab aliis alia tradi docet; e quorum vero auctoritate stemmata sua ipse composuerit reticet. Operae pretium foret data opera in Apollodori fontes inquirere; quae enim Heynius in observationibus passim dispersis in locis ea de re disserit, vix satis faciunt. Est omnino auctor noster nimis neglectus, nec inutilem sane laborem is susciperet, qui curas suas Apollodoro impenderet. At suavius est per laeta arva poëtarum et scriptorum aureae aetatis deambulare, quam per haec dumeta. Usus sum editione Heyniana secunda, Gotting. 1803.

Fontibus primariis accensendus est Pausanias, auctor ab aliis magna laude celebratus, ab aliis iniusto saepissime, me iudice, damnatus vituperio, cuius certe merita in conservandis fabulis et veterum poëtarum fragmentis satis laudari nequeunt; multa enim ab eo solo traduntur, multa eius auctoritate comprobantur. Quos sequatur auctores saepe indicat; non raro autem negligentior hac in re id facere obliviscitur, in libris certe quorum aditus ipsius tempore cuique patebat. At non semper in fontium usu sibi constitisse, sed alio loco alios auctores secutus videtur, quod v. g. dubio caret in recensenda Phoronei prole, II, 16, 1. p. 145. et II, 35, 3. p. 194. Ceterum descriptionem gentis Inachidarum, II, 15 sq., non ab ipso *compositam*, sed integram et immutatam e veteri poëta vel historico transscriptam esse, mihi non est dubium.

Praeter hos primi ordinis fontes maxima cum utilitate adhibentur auctorum veterum Scholiastae, ob egregia fragmenta e veteribus scriptoribus servata; nam quid ipsi de remotissima antiquitate iudicaverint recentes hi grammatici, quid interest? Qua in re praesertim molestus est antiquitatis ille mos reticendi fontes, unde quaeque hausta sint; quamvis enim Scholiastae, doctiores inprimis, saepe auctores suos indicant, saepius tamen hanc diligentiam neglectam doleas, ita ut ad quemnam auctorem genealogia aliqua referenda sit, plerumque ne coniectura quidem assequi possimus; quare nihil video reliqui, quam ut haec anonymorum stemmata reliquis vel quomodocunque id fieri potest adaptemus, vel ubi repugnat ordo et contextus, per se et separatim proponamus. Primo loco haud dubie nominandi sunt Homeri Enarratores, in quibus praecipui sunt Eustathius et Scholiasta Venetus a Villoisonio editus*). Eusta-

*) In Bibliotheca Caesarea Vindobonensi codices plures exstant Homeri cum Scholiis. Ab hoc loco alienum non videtur, pauca monere de quibusdam eorum, et primo quidem loco de Codice Msto Philol. Graec. LXI. in quo describendo dici non potest quantum a vero aberraverit Nesselii Catalogus. Continet Iliadis aliquot libros vel potius librorum fragmenta, cum Scholiis interlinearibus et marginalibus. E diversis compositus videtur elementis casu fortuito copulatis, quod diverso scripturae charactere, foliorum forma, instituti ratione non ubique sibi constante, foliorumque materia, quorum alia sunt membranacea alia chartacea, satis comprobatur. Complexus est ab initio folia 53; sic enim numerantur a prima manu; postea post folium 43 quatuor folia inserta sunt, quorum duo membranacea; formae minoris; a prima manu numeri non adsunt, addit eos secunda manus suo ordine continuans 44. 45. 46. 47. 48. ita ut fol. 48 secundae manus et fol. 44. manus primae idem sit; tertia denique manus eadem quatuor folia alio modo numeravit, quasi in fine Codicis collocanda fuissent, 54. 56. 57. 58.; transsilit igitur a 54 ad 56, unde Nesselii natus est error, constare codicem 58 foliis. Scholia sunt breviora inter lineas, copiosa in marginibus usque ad fol. 18; deinde margines sunt puri usque ad fol. 26. p. 1.; pagina secunda et foliis sequentibus usque ad fol. 31 scholia totas paginas implent; in reliquis foliis ad margines iterum relegata sunt, sed minus copiosa. Codex olim fuit I. Sambuci, quod ipse, pro more, sua manu inscripsit. Summo margine folii tertii, pergameni, idem apposuit notulam: „*non excusa*“, quod ad scholia referendum est, de quibus Alter in praefatione editionis suae Homeri Vindobonensi iudicat: „Certe diversa sunt a commentariis Eustathii“, quod quidem extricare non nimis erat operosum. Non vidit autem verum auctor tituli codici praefixi, qui Porphyrii ea esse indicat. Sunt quaedam Porphyrii, in aliiis Porphyrius auctor laudatur. Supersedere potuissent coniecturis Nesselius, Alterus, et tituli auctor, si diligentius vel prima codicis folia legissent; legitur enim ibi: ἰϛέον ὅτι διαφόρων ὄντων τῶν ἐν τοῖς μετώποις ἐκτεθησομένων σχολίων, τὰ μὲν εἰσὶ παλαιὰ καὶ ἀνώνυμα. διὰ τοῦτο καὶ χωρὶς σημείων εἰσι· τὰ δὲ τοῦ πορφυρίου, καὶ σημειοῦνται τῷ π ϛοιχείῳ τὰ δὲ τοῦ Θεσσα-

thii locos excitavi ad paginas exemplaris Romani in editione Lipsiensi. Quod ad Scholia Pindari attinet editione usus sum P. Stephani 1599.; interdum Heynianam inspexi, quod si ubique fieri potuisset lectorum commoditati aeque ac libelli huius utilitati consultum fortasse fuisset. Erunt haud dubie qui mirentur haec scribi posse in urbe imperiali, librorum copia insigni, cuius bibliotheca caesarea in primis celebratur et librorum abundantia, et praesidum humanitate ac liberalitate. At qui huius instituti novit rationem et leges, facile perspiciet, quam parum sit accommodatum usui publico, et quam parum commoditati eorum sit consultum, qui munere quodam impediti horis statutis bibliothecae museum frequentare nequeunt; ad privatam bibliothecam hi redacti sunt. Eandem ob causam Lycophronem et Tzetzem eius Scholiastam, ex editione Potteri, Oxon. 1697. laudo; recentiores editiones inspicere non potui. Tzetzae auctoritas, ubi auctores suos vel ipse indicat, vel ubi ex antiquis scriptoribus eum hausisse narrationis tenor satis comprobat, minime est spernenda; ubi vero de suo addit homo vaniloquus et saepe ineptus, caute procedamus necesse est, quum Graeculorum novissimi, otiosa capita, magni et multi sint in inveniendis fabulis et stemmatibus, quo vel eruditionem suam iactarent vel ingenium exercerent, vel civitatis alicuius splendorem et claritatem extollerent. Quos recentissimos ingeniorum lusus a quaestione nostra omnino abesse debere, perspicuum mihi videtur.

Haec fere habui dicenda. Aequos mihi exopto iudices; quibus si instituti mei ratio probabitur, fasciculo secundo Arcadiae, Sicyoniaeque reges et Pelopidas descripturus sum.

Scripsi Vindobonae

d. VI. ante Id. April. MDCCCXXXI.

λονίκης εὐςαθίου καὶ ἔχουσι τὸ σημεῖον τὸ Θ. τὰ δὲ τοῦ μοσχοπούλου ἤτοι μανουὴλ, καὶ ἔχουσι τὸ μ σημεῖον. Hae igitur literae coccineo colore marginibus adscriptae scholiorum auctores indicant; sed usque ad versum 208 libri primi tantum; in sequentibus haec nomenclatura et scholiorum initiales literae omittuntur. Scholia illa anonyma vetera, ut iam propius ad id accedam cuius causa haec omnia sunt dicta, plerumque cum Venetis concinunt, sed saepissime sunt pleniora; Porphyrii non multa sunt; Eustathii observationes in brevius plerumque contrahuntur; Moschopuli scholia argumenta grammatica tractare solent. Codex alius Philos. Philol. XLIX, Homeri Iliadis partem continens, item habet scholia partim inedita, partim cum Venetis concinentia, non raro locupletiora. — Codex Hist. Gr. CXXX. continet praeter alia quaedam scripta, Pindarum cum scholiis, quorum pars nondum est impressa, pars ab impressis differt, idque in rebus saepe maioribus. Dignissimus est hic codex, qui in nova Pindari editione accuratius conferatur. Ob scripturam minutam, atramentum pallidum et frequentissima scripturae compendia difficillimus est lectu.

PARS PRIMA S. GENEALOGICA.

Οἱ Ἑλλήνων λόγοι διάφοροι τὰ πλέονα,
καὶ οὐχ ἥκιστα ἐπὶ τοῖς γένεσίν εἰσι.

Pausan. VIII, 53, 2.

INACHI ARGIVI STIRPS.

PARTIS PRIMAE

CAPUT PRIMUM.

De historiae Argivae antiquissimae fontibus breviter disputat Heyne ad Apollodor. II, 1, 1. pag. 94 sq. Praecipuos iam nominavi, Hesiodum, Eumelum, Acusilaum, Pherecydem, Hellanicum. Ab Homero parum frequentantur fabulae Argivae; errat vero Hesychius, si effatur s. v. Γοργώ: τὰ περὶ τὴν Δανάην καὶ τὸν Περσέα καὶ τὰς Γοργόνας Ὅμηρος οὐκ εἶδε. Gorgonem enim pluries commemorat Il. XI, 36. V, 741. Od. XI, 633. — Perseum Il. XIV, 319 sq., quo ex loco et ex altero Il. XIX, 111. 116. 123. perspicimus ipsi de Perseo et Danaë fabulam ignotam non fuisse. Inachi stirpi adscribitur etiam Mycene, quae Od. II, 120. nuncupatur. Ab Hesiodo res Argivas etiam in Genealogiis tractatas fuisse dubio caret, quare maxime est dolendum non solum poëtae Ascraei periisse carmina, sed Eumeli etiam et Acusilai opera, qui Clemente Alexandrino teste (Strom. VI, p. 629. [752. Potter.]) τὰ Ἡσιόδου μετήλλαξαν εἰς πεζὸν λόγον καὶ ὡς ἴδια ἐξήνεγκαν. Acusilai fragmenta a Sturzio collecta non multa prostant, eaque parum inserviunt ad illustrandam Inachidarum historiam; copiosiora sunt Pherecydis fragmenta. De Hellanici Phoronide, alioque eiusdem nominis carmine antiquissimo videndi sunt Heyne (l. d. p. 94.) et Sturz. ad Hellanici fragmenta pag. 106. Carmen utrumque periit et fragmenta exilia parum promovent. A poëtis cyclicis hoc certe argumentum non raro erat pertrac-

tatum; sed fragmenta ad nostra usque tempora servata non multa inveniuntur. Quae Schol. Vulg. et Ambr. ad Homer. Odyss. II, 120. laudat ὣς ἐν τῷ κύκλῳ φέρεται omnino consentiunt cum iis quae Pausanias II, 16, 3. p. 146. ex Eoeis magnis refert; ex eodem carmine utrumque hausisse puto, quum Eoeas magnas carminibus cyclicis accenseri satis sit notum. De singulis locis infra acturi sumus.

Apollodorus Inachi stirpem solus a principio usque ad Heraclidas perducit, quare ineptum non videtur eius genealogiam in hac disquisitione pro fundamento habere, eaque uti tanquam filo argumentandi, quod intrantes in hunc variarum opinionum labyrinthum excipiat et ad finem perducat. Inachi autem stirpem usque ad Agenorem et Belum Apollodorus II, 1. sic describit:

Oceanus υ Tethys υ Oceanus
Inachus υ Melia
Laodice nympha υ Phoroneus — Aegialeus, s. p. m.
Apis, s. p. m. — Niobe υ Jupiter
Strymo υ Neaera
Pelasgus sec. Acusilaum — Argus υ Euadne
Jasus — Piras — Criasus — Epidaurus
Agenor — Asopus
Argus Panoptes υ Ismene
Jasus
Telegonus υ Jo υ Jupiter
Epaphus υ Memphis Nili filia.
Libya υ Neptunus
Agenor — Belus.

Quos auctores Apollodorus in hoc capite secutus sit, affirmare non ausim; Pherecydem, ipsi in prima certe tabulae parte ducem non fuisse vel levissima docet comparatio (v. infra); idem de Acusilao probari posse videtur; ter enim

hunc auctorem laudat in stirpe Inachi; II, 1, 1, 7. pag. 111. addit tabulae suae ex Acusilao Pelasgum; II, 1, 3, 1. pag. 113 ab Hesiodo et Acusilao Jonem Pirenis filiam nuncupari refert, quam ipse in tabula sua Jasi filiam dixerat; II, 1, 3, 3. pag. 114. denique ab Acusilao Argum Panoptem terra editum vocari adnotat, qui ipsi Agenoris filius est. Neque Hellanicum fontibus Apollodori in hac tabula esse annumerandum, in sequentibus videbimus.

Eiusdem stemmatis fragmentum usque ad Argum et Pelasgum descripsit Tzetz. ad Lycophr. 177. pag. 25., ex hoc ipso haud dubie Apollodori loco, ut Heynio iam visum est (ad Apollod. pag. 95.); omnino certe consentiunt si unum excipias Laodicae nomen. Inachi et Meliae natales si ad Oceanum et Tethyem refert antiqua fabula, nihil aliud significari ea re puto nisi quod Homerus expressit Il. XIV, 201., ubi nominat

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν

et 246. — ῥέεθρα

Ὠκεανοῦ, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

In Melia Oceanina, Inachi uxore, omnes concinunt; praeter Apollodorum eam laudant Poëta cyclicus ap. Schol. Vulg. et Ambr. ad Hom. Od. II, 120. Schol. Venet. ad Hom. Il. I, 22. Schol. Eurip. Orest. 1239. 920. Tzetz. l. d.; vide omnino quos laudavit Heynius in Observationibus ad Apollod. p. 95., ubi tamen quid sibi velint verba: „Μελίαν alii nominant Phoronei matrem" non capio; est enim ea communis omnium opinio Inachi ex Melia filius ab omnibus perhibetur Phoroneus v. g. ab Acusilao ap. Ge. Syncell. chron. pag. 64. (ap. Sturz. fr. XV, pag. 217.) Schol. Eurip. ad ll. ll. Tzetz. l. l. Pausan. II, 15, 5. pag. 145. Phoronei uxor in editionibus Apollodori Laodice nuncupatur; sed vitio puto; mutanda est lectio in ἐκ Τηλοδίκης; sic legunt Codices Mediceus et Oxoniensis; eodem ducit lectio ἐκ τῆς λοδικῆς in Palatino et Parisino Reg. 3; nec non τηλεδίκης in Vesuntino; Telodice nympha etiam apud Lycophronis Enarratorem.

Aegialeum alii Inachi filium nominant (Apollod. Schol.

Venet. ad Hom. Il. I, 22.), alii αὐτόχθονα. Mihi enim vix dubium videtur, quin Aegialeus ille qui a Pausania (II, 5, 5, pag. 123.) e Sicyoniorum traditione Sicyone regnasse dicitur, idem sit cum nostro Phoronei fratre, etiamsi Sicyonii stirpis suae regiae originem ab Aegialeo autochthone repetant. Indigena enim vel αὐτόχθων non is vocatur qui eo ipso loco quo habitat, natus est, sed qui peregre non advenit; saepe nihil aliud significare videtur quam primum terrae alicuius incolam, uti etiam παλαίχθων, v. g. apud Aeschyl. Suppl. 253. et VII c. Theb. 101. Aegialeus vero tum temporis in agro Sicyonio, qui limite ducto ab Argivo nondum erat distinctus, peregrinus certe dici non potuit; in Argolide igitur natus a Sicyoniis recte indigena vocatur. Phoroneus in Argolide imperium condidit; Aegialeus ea litora occupavit quae ab ipso Aegialea, postea Achaia appellata sunt. Haec usui scriptorum non repugnare, exemplo illustrabo. Pelasgus a quo Arcades origines suas repetunt, ab Hesiodo (ap. Apollod. III, 8, 1, 1. pag. 300) et Asio (Pausan. VIII, 1, 2. pag. 599) indigena s. αὐτόχθων nuncupatur; Pausanias ipse (l. d.) ex Arcadum relatione tradit — ὡς Πελασγὸς γένοιτο ἐν τῇ γῇ ταύτῃ πρῶτος. Schol. ad Eurip. Orest. 1642 adeo narrat: Πελασγὸς αὐτόχθων ὁ Ἀργεῖος ὁ τοῦ Ἀρέστορος τοῦ Ἰάσου Arcades mitiores reddidit cet. Eodem modo Aegialeus Sicyonis rex, Argivus, ἐν τῇ γῇ ταύτῃ (Sicyone) πρῶτος, αὐτόχθων et Inachi filius esse potuit. Alia est difficultas quod Aegialeus, Inachi filius, ab Apollodoro et Tzetze sine prole, ἄπαις, mortuus dicitur, quum Pausanias numerosam Aegialei prosapiam recenseat. Tamen de eodem agi mihi persuadeo. Aegialeus proprio iure Sicyone regnum condidit ab Argivo separatum, quare quum Argivi in traditionibus et tabulis suis eius stirpem ulterius non prosequerentur, seriores progeniem ipsi omnino non fuisse concludebant; Sicyonii contra regum seriem ab Aegialeo sedulo et curate deducebant, et illustrandae originis causa regni conditorem indigenam, terra editum, perhibebant. Prosapiam eius alio loco descripturus sum.

Apis, Phoronei filius commemoratur ab Apollodoro, Tzetze, Schol. ad Eurip. Orest. 1239 (de loco ad Orest. 920 infra) Schol. Venet. ad Hom. Il. I, 22. (vocatur ibi Apis Phoronei filius, Jovis nepos; id quomodo?) Schol. Apollon. Rhod. IV, 263. Eustath. ad Dionys. Perieg. 414. pag. 186. ed. Oxon. Papii; praeterea, sed sine patris nomine ad Hom. Odyss. XVIII, 246. pag. 1845. ad Il. I, 270. pag. 102, ad Il. III, 49. pag. 382; porro de eo Rhianus ap. Stephan. Byz. s. v. Ἀπία, multique alii. Sed locis modo laudatis et pluries alibi diversos Apides confusos videmus, quare singulos distinguere et de variis huius nominis exponere hominibus, neque a loco neque a proposito alienum videtur. Apollodorus et cum eo Tzetzes referunt, Apidem Phoronei filium, Argivum Peloponneso Apiae nomen indidisse, et quum imperii formam in tyrannidem mutaret et potestate abuteretur, a Telchine et Thelxione occisum esse. Similia habet Stephanus Byz. s. v. Ἀπία: *οὕτως οἱ νεώτεροι τὸ Ἄργος καὶ τοὺς κατοικοῦντας Ἀπιδόνας ἀπὸ Ἄπιδος τοῦ Φορωνέως, ὡς Ῥιανὸς ἐν Ἀχαΐκῳ* (l. *Ἀχαϊκῶν*) *δευτέρῳ·*

ἡμετέρη τοι τέκνα Φορωνέως ἦν δὲ *) (versus corruptus)
ἀρχῆθεν γενεή· τοῦ δὲ κλυτὸς ἐκγένετ' Ἆπις
ός ῥ' Ἀπίην ἐφάτιζε καὶ ἀνέρας Ἀπιδανῆας.

Eosdem Rhiani versus excerpsit Eustath. ad Dionys. Perieg. 414. pag. 186. (Arriani enim nomen iam diu a Tan. Fabro et Th. de Pinedo correctum est); id quidem bene, sed in reliquis a confusione non satis sibi cavit archiepiscopus doctissimus. Verba eius haec sunt: *οἱ δέ φασιν ὅτι Ἆπις ὁ Φορωνέως ἐκ τῆς Ἠπείρου ἐλθὼν ἀπήλλαξε τὴν Πελοπόννησον ὄφεων ὀχλούντων, καὶ ᾤκησε περὶ τὴν Ἀρκαδίαν· ἀφ' οὗ καὶ ἡ Πελοπόννησος ὅλη Ἀπία ἐκλήθη ποτέ· καὶ*

*) Fortasse versus restituendus est:
ἡμετέρη τοι, τέκνα, Φορωνέως Ἰναχίδαο
ἀρχῆθεν γενεή. —

δι' αὐτὸν Ἀπιδανῆες ἐξαιρέτως οἱ Ἀρκάδες, παρ' οἷς ὁ Ἆπις ᾤκησεν· οὗ καὶ Αἰσχύλος μέμνηται εἰπὼν Ἆπις γὰρ ἐλθὼν ἐκπέρας Ναυπακτίας. καὶ Ῥιανὸς κ. τ. λ. Quibus in verbis plures latent errores. Aeschylus enim (Suppl. 265, ubi versus ille aliter nunc legitur.) Apidem Phoronei filium non agnoscit (quomodo enim Phoronei Argivi filius e Naupactia in Argivam terram migrare potuisset?); narrat poëta, Apidem vatem et medicum (ἰατρόμαντις), Apollinis filium e Naupactio agro Argos venisse, terram serpentibus et monstris purgasse, et his aliisque beneficiis meruisse, ut in precibus memoria eius recoleretur, et terra Argiva eius nomine Apia vocaretur. Nihil igitur de Phoroneo, nihil de Arcadia, nihil de Apidanensibus. Hic Aeschyli Apis omnino diversus est a Phoronei filio. Vates fuit et medicus, peregre ex Epiro (ut Eustathius dicit, non quidem eo sensu quo nos id nomen adhibemus) in terram Argivam veniens, a quo Peloponnesum nominatam erant qui putarent. Alii porro id nominis ab Apidis, Telchinis Sicyonii filio derivandum putaverunt, uti Pausanias refert (II, 5, 5. pag. 123) e Sicyoniorum traditione; cf. Siebelis ad l. l., ubi plura etiam de nominis scriptura, et Buttmann. Lexil. I, p. 67 sqq.

Quaenam harum opinionum verior sit, in medio relinquere consultissimum videtur, neque post Buttmannum in significationem nominis ἀπίη γαῖα inquirere mens esse potest; non vero silentio praetermittendam puto eam quaestionem, quomodo intelligenda sint Stephani Byz. verba supra descripta: οὕτως οἱ νεώτεροι τὸ Ἄργος κ. τ. λ. Peloponnesi nomen antiquissimum Apiam fuisse, vix erit qui neget, antiquius certe quam Pelopis regnum; fortasse erat Pelasgicum nomen. Recentiores in originem huius denominationis inquirentes ab Apide quodam derivandam censuere, idque aliter alius. Non invenere igitur recentiores Apiae nomen, sed ab Apide id derivarunt. Probatur haec explicatio Eustathii loco ad Hom. Il. III, 49. pag. 382, ubi expositis aliis vocis ἀπίη explicationibus, addit: οἱ μέντοι νεώ-

τεροι τὴν Πελοπόννησόν φασιν ἀπό τινος Ἄπιδος ἢ Ἄπεως, περὶ οὗ ἐν τοῖς τοῦ περιηγητοῦ εἴρηται.

Alia confusio est circa caedem Apidis, Phoronei filii. Apollodoro teste (II, 1, 1, 6. pag. 111) a Thelxione et Telchine occisus est; sunt illi haud dubie ex Aegialei progenie. Alio capite (I, 7, 6. pag. 48) idem parum sibi constans Apidem Phoronei filium ab Aetolo, Endymionis filio, interfectum tradit. Quam parum haec narratio temporum rationi conveniat, nemo non videt; tamen consentientem habet Apollodorus Eustathium ad Homer. Il. XIII, 217. pag. 928 Ἰςέον ὅτι Αἰτωλοὶ λέγονται ἀπὸ Αἰτωλοῦ τοῦ Ἐνδυμίωνος, Ἠλείου τὸ γένος, ὃς Ἄπιν ἀνελὼν ἀκουσίως τὸν Φορωνέως καὶ φυγὼν μετέδωκε ταύτῃ τῇ χώρᾳ τῆς ἀπ' αὐτοῦ παρωνυμίας. At est confusio cum alio Apide, Jasonis filio, Arcade, de quo alio loco. Ab Aegialei certe nepotibus occisus est Phoronei filius. Thelxion vero et Telchin et ipsi interfecti sunt, ab Argo, Apollodoro iudice (II, 1, 2, 6. pag. 113), Panopte; dicit enim expressis verbis de hoc: ἐξεδίκησε δὲ καὶ τὸν Ἄπιδος φόνον, τοὺς αἰτίους ἀποκτείνας. Mihi vero non probatur, quum ob temporis rationem fieri potuisse non videatur; ab Argo contra I, Niobae filio, hanc ultionem repetitam putaverim, qui per temporis ordinem facere id potuit, et ex veterum Graecorum opinione debuit. De hoc Apide cum Apide Aegyptiaco confuso alii tradiderunt.

Sine prole mortuum refert Apollodorus; sed advertit me Scholium ad Hom. Il. I, 123. (num editum necne, nescio) quod e Codice Vindob. Philos. Philol. XLIX. (fol. 5. p. 2. med.) excerpsi: Ἀχαιοὺς καὶ Δαναοὺς καὶ Ἀργείους ὁ ποιητὴς καλεῖ τοὺς Ἕλληνας· Δαναοὺς μὲν ἀπὸ Δαναοῦ τοῦ Βήλου τοῦ Ποσειδῶνος· Ἀχαιοὺς δὲ ἀπὸ Ἀχαιοῦ τοῦ Ξούθου καὶ Κρεούσης τῆς Ἐρεχθέως· Ἀργείους δὲ ἀπὸ Ἄργου τοῦ Ἄπιδος καὶ Νιόβης τῆς Φορωνέως· Ἕλληνας δὲ ψιλῶς καλεῖ τοὺς ὑπὸ τῷ Ἀχιλεῖ λέγων μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο καὶ ἕλληνες καὶ ἀχαιοί. Apidem Niobae maritum, Argi patrem nullo alio loco inveni, nec, quod valde dolendum est, Scholiastes auctorem suum nominat, un-

de concludere possimus, quomodo hoc connubium ad reliquum stemma accommodatum fuerit. Ex vulgari enim opinione Apis Niobae frater fuit, quod non nimis commodum videtur; quamvis antiquissimo illo tempore connubia inter fratres et sorores satis frequentia commemorantur; quare non mediocriter mihi arridet hoc inter Apidem et Nioben connubium, quum historiae quaedam momenta lucem inde accipiant; verbi gratia nomino Argi in imperio successionem, quam alii alio modo sibi explicare conati sunt; v. Pausan. II, 34, 5. p. 191. et Schol. Eurip. Or. 1239. — et ultionem de Apidis caede ab interfectoribus repetitam; suo iure enim filius poenam de patris morte exegisset. Pater Argi mortalis ab aliis auctoribus non nuncupatur; ad Jovem Argi natales referunt poetae et mythographi; solus, quantum scio, Scholiastes noster, quem e bono fonte hausisse abitror, patrem eius mortalem exhibet.

Phoronei filius ab Acusilao commemoratur Pelasgus; sed qualis is fuerit, et quae eius prosapia in Arcadicis exponetur. Sturzius (ad Pherecyd. frr. pag. 191), etiam Hellanicum a Phoroneo deduxisse Pelasgum suspicatur, eumque in finem excitat Hellanici fragmentum LXXVI, pag. 108 sed quomodo inde extricaverit Pelasgum, Phoronei filium, Vir doctissimus, plane non capio, nisi ex his Dionysii Halic. verbis: ἔχει δὲ αὐτῷ ἐν Φορωνίδι ὁ λόγος ὧδε. τοῦ Πελασγοῦ, τοῦ βασιλέως αὐτῶν κ. λ., coniecturâ eum deduxerit. Patrem Pelasgi Hellanici fragmentum non exhibet; eius prosapia omnino diversa est ab ea quam Apollodorus recenset, locorum et temporum rationes non conveniunt; quare iusto audacius videtur ex sola Phoronidis commemoratione hunc Pelasgum ad Phoroneum referre, praesertim quum neque de ambitu neque de contextu operis Hellanicei iudicare possimus; et Sturzius ipse (pag. 107 Hellan. frr.) doceat, Argivorum origines et res gestas argumentum constituisse Phoronidis; rectius fortasse historiam Phoronidarum dixisset, quum fragmento LXXVII res Cadmi eo libro tractatas videamus.

In Niobe, Phoronei filia, consentiunt auctores plerique omnes; ταύτῃ πρώτῃ Ζεὺς ἐμίγη γυναικὶ θνητῇ, ut tradit Diodor. Sicul. IV, 14. pag. 260 (etiam ap. Euseb praepar. evang. II, pag. 55) et Apollod. II, 1, 1, 7. pag. 111 ubi cf. Heyne. Sed alia etiam Niobae genealogia antiquitus exstitisse videtur, cuius vestigia haec sunt: Secundum Eusebium (Chron. p. 23 ed. Scalig.) *) Niobe Phoronei non filia sed mater fuit, Inachi uxor; Apollodoro teste (II, 1, 3, 3. pag. 114) Asclepiades Argum Inachi filium ediderat; Niobae vero filius ab omnibus quantum scio, Argus perhibetur; iam equidem scio, Asclepiadem (nisi erravit Apollodorus) de Argo Panopte locutum esse, Niobae vero filium, ex Apollodori stemmate, alium ab hoc esse Argum; at non uno loco alterum cum altero confundi, imo probabile esse, Argum Niobae filium et Panoptem non differre, infra demonstrare co-

*) Equidem neminem inveni, qui Nioben Phoronei matrem nuncupasset praeter Eusebium l. c. sic scribentem: Φορωνεὺς παῖς Ἰνάχου καὶ Νιόβης πρῶτος λέγεται νόμους καὶ κριτήρια παρ' Ἕλλησι θέσθαι. Φασὶ δέ τινες Νιόβην Φορωνέως εἶναι θυγατέρα, ὅπερ οὐκ ἀληθές. —— Νιόβῃ, γαμετῇ Ἰνάχου, μητρὶ δὲ Φορωνέως, πρώτῃ γυναικῶν ἐμίγη Ζεύς. —— πᾶσα παρ' Ἕλλησι θαυμαζομένη πρᾶξις ἀπὸ τῶν Ἰνάχου χρόνων καὶ Φορωνέως εἰς τὰ μετέπειτα φέρεται· διὸ καὶ Πλάτων ἐν Τιμαίῳ τῷ διαλόγῳ τοῦ Φορωνέως ἐπιμέμνηται χρόνων ὡς πάνυ παλαιῶν, καὶ Νιόβης καὶ τοῦ κατ' Ὠγύγον ἀρχαιοτάτου κατακλυσμοῦ. Hunc auctorem secutus videtur Heyne (in Obss. ad Apollod. l. d. pag. 97), qui tamen locum accuratius indicare neglexit, quo haec generatio comprobetur; dicit tantum doceri haec „a Platone aliisque." Respexisse igitur viros doctissimos arbitror hunc e Platonis Timaeo locum (T. III, p. 22) quem Clemens Alex. stromm. I, p. 321 etiam excerpsit: — περὶ Φορωνέως δε τοῦ πρώτου λεχθέντος καὶ Νιόβης; quae suspicio nisi me fallit, in errorem inductum esse virum utrumque haud cunctanter crediderim; Platonis enim verba non „de Phoroneo qui primus et Niobae filius dictus est" vertenda sunt, sed „de Phoroneo qui primus homo dicitur, et de Niobe." Locum accurate inspicienti res dubia non erit.

nabor. Quibus si addimus locum supra iam excitatum e Schol. Villois. Venet. ad Hom. Il. I, 22, ubi Apis Phoronei filius, Jovis nepos vocatur, atque perpendimus, e constanti antiquitatis fama, Jovi cum Niobe rem fuisse; et si haec omnia complectimur et in unum corpus colligimus, non ratione utique carere videtur, si inde hoc componimus stemma:

Jupiter υ Niobe υ Inachus
|　　　|
Phoroneus　Argus
|
Apis.

Niobae et Jovis filius Apollodoro est Argus I, cuius uxor Euadne, Strymonis et Neaerae filia. De parentum neutro mihi constat; Strymo fortasse is est fluvius quem Pelasgus in Aeschyli Supplicibus (258) terram suam perlabi narrat; idem quem Hesiodus (in Theogon. 439) Tethyis et Oceani filium appellat. Neaeram commemorat Homerus (Odyss. XII, 133) e qua Phaëtusam et Lampetiam filias suscepit Apollo; eandem esse cum Strymonis uxore non dixerim; nomen potius commune et, ut ita dicam, significativum puto, quamvis eam quam Eustathius (ad l. d. pag. 1717 l. 35) exhibet explicationem amplecti nolim: *ἡ ἀεὶ νεάζουσα ἐν αὐτῷ* (Apolline) *καὶ ἀκμαία κίνησις.* Advertit me Hesiodi locus (in Thegon. 346 sqq.) ubi commemoratur Oceani et Tethyis — *θυγατέρων ἱερὸν γένος, αἳ κατὰ γαῖαν*
ἄνδρας κουρίζουσιν, Ἀπόλλωνι ξὺν ἄνακτι
καὶ Ποταμοῖς. —

In his filiabus recensetur (356) *Ἰάνειρα*, quam eandem esse cum Neaera censuerim, ita ut apud Apollodorum Janirae nomen reponendum videatur, vel potius *Ἰάνειρα* et *Νέαιρα*, transpositis literis (exempla eiusmodi metathesis rara non sunt) pro diversis formis habeantur nominis eiusdem. Quae coniectura si vera est, Neaera s. Janira, Oceanitis, soror fuit Strymonis, et Euadne filia ex hoc cohnubio procreata et Argo uxor data, nihil aliud significat, quam quod Hesiodus dicit — *αἳ κατὰ γαῖαν ἄνδρας κουρίζουσιν ξὺν Ποτα-*

μοῖς. Sed non consentiunt auctores in Argi I. uxore; e Cercopis sententia (ap. Apollod. II, 1, 3, 3. p. 114) Ismene fuit Asopi filia, quam alii, in quibus ipse Apollodorus, Argi Panoptae uxorem nuncupant. Heynius (ad Apoll. l. l. p. 100) Asopum de Sicyonis fluvio intelligendum esse autumat, non Boeotiae; rationes addidisset velim; mihi secus videtur, et de Boeotiae fluvio sermonem esse persuasus sum. Rationes alio loco exponam, ubi de variis Asopis acturus sum. Ad Apollodori locum II, 1, 3, 3. infra redibo. Alia denique Argi I uxor est apud Pherecydem (ap. Schol. Eurip. Phoenn. 1123. — ap. Sturz. fr. XL. p. 161) Pitho, de qua v. Pherecydeam tabulam infra.

Argi et Euadnae filios quattuor habet Apollodorus, Jasum, Pirantem, Epidaurum, Criasum; ita quidem e lectione Heynii; accuratius videamus. Jasus hic bis commemoratur, paragrapho 1 et 2 sectionis secundae, capitis primi; sed utroque loco ex emendatione Aegii, contra codicum auctoritatem, qui primo loco has praebent formas ἄκασον, ἄκαςον, ἔκοςον, ἄκασσον, ἔκβασον; secundo loco ἐκβάσου vel ἐκ βασου; apud Hyginum idem corrupte, ut bene iudicat Heynius, Basus vocatur. Omnes has lectiones si exacte perpendimus, addimusque auctoritatem Characis (ap. Stephan. Byz. s. v. Παῤῥασία) qui Ecbasum habet Argi filium, Arestoris patrem, Pelasgi avum, et Scholiastae ad Eurip. Orest. 920, ubi item Argi filius Ecbasus vocatur, dubium vix videtur, etiam Apollodoro Ecbasum restituendum esse; eo enim ducunt codicum lectiones et Characis, Scholiastae Euripidei et Hygini testimonia. Palmerius in Graecia antiqua pag. 43 apud Characem pro 'Εκβάσου legendum dicit 'Ιάσου, commotus haud dubie falsa lectione in Apollodoro, et Scholiastae ad Eurip. Orest. 1642, ubi Pelasgus ὁ τοῦ 'Αρέςορος τοῦ 'Ιάσου legitur. Heynius in Apollodoro Jasum Aegii tuetur, et ita quidem ut ex Euripidis adeo Enarratore (Or. 920) Ecbasum eiicere, Jasumque intrudere conaretur, e Charace vero illum proscribere oblivisceretur. At praevaleat codicum auctoritas apud Apollodorum, ipsique Ecbasum resti-

tuamus, et salva erit lectio Characis et Scholiastae Euripidei ad Orest. 920; si hoc modo loci omnes reliqui consentiunt in recipiendo Ecbaso, etiam Scholiasta ad Eurip. Orest. 1642 non nimis renitetur et eiecto Jaso Ecbasum probabit; audacter igitur scribamus — ὁ τοῦ Ἀρέςορος τοῦ Ἐκβάσου.

Alterum nomen quod ambigitur Pirantis est. In editione Aegii, quae mihi ad manus non est, Πείρανθον legi videtur, atque ita hoc nomen etiam a Scholiasta Eurip. Orest. enuntiari affirmat Heynius. At in editione huius Enarratoris quam Matthiae curavit, Πείρασος legitur, et veriore quidem, me iudice, titulo; in Apollodoro autem Codices Palat., Vatic. et Mediceus Πείραντα habent, Cod. Dorv. Πείραντι, Cod. Reg. a p. m. Πείραντος; unde perspicimus Πείραντα auctoritate codicum satis firmari; et nullo modo Heynio adsentiri possum, qui utrumque nomen, et Piranthum et Pirantem, rationem habere affirmat (Obss. ad Apollod, pag. 98 fin.). Hyginus quidem (fab. 145) agnoscit quidem, si lectio sana, Piranthum; quis autem Graecus hoc nomen exhibet indubitata lectione? Apollodoro, ut vidimus e Codicum auctoritate est Piras; eodem modo a Plutarcho vocatus est (Euseb. Praep. Evang. III, 8; cf. quos praeterea laudat Heyne in notis crit. ad Apollod. p. 112.) — Pausanias (II, 16, 1, pag. 145) Pirasum nominat; eodem modo Schol. ad Eurip. Orest. 920. — Epimenides Cretensis (ap. Pausan. VIII, 18, 1. pag. 635) Pirantem quendam commemoravit, qui e Styge Echidnam procreaverit; quae quidem Echidna (de cuius natalibus diverso modo traditis, conferendi sunt Pausanias l. d. et Apollod. II, 1, 2, 5. p. 113 c. Intpp.) eadem certe est, quam Apollodorus ab Argo occisam tradit; et Piras ille, de quo dubitanter Pausanias ὅςις δὴ ὁ Πείρας ἐςίν, hic ipse Piras, Argi filius. — Hesiodus et Acusilaus (ap. Apollod. II, 1, 3, 1. pag. 113) Jonem Pirenis filiam nuncupaverunt; qui quidem Piren vel fortasse Pires idem esse videtur cum Pirante s. Piraso, ita ut Pires, Piras, Pirasus tres formae nominis eiusdem putandae sint. Alius Piras inter Hippodamiae procos recensetur a Schol. Pindar. Ol. I, 114, 127, qui quamvis ob temporis

rationem nihil ad nostrum facere posse videatur, probat tamen, id nominis inusitatum non fuisse *). Ex omnibus his satis clare prodire puto, ab auctoribus Graecis hunc Argi filium vel Pirasum vel Pirantem vocari, Piranthum vero auctoritate iusta carere.

Filius Argi tertius ab Apollodoro Epidaurus nominatur. E Pausaniae loco II, 26, 3. p. 170 colligere possumus quos auctores, certe hac parte, secutus sit Apollodorus. Varias enim de Epidauro referens traditiones, narrat Pausanias, ab Eleis Pelopis filium perhiberi, ab Epidauriis Apollinis; ex Argivorum vero traditione et ex Eoeis magnis, Argi filium esse, Jovis nepotem.

Jasi vel potius Ecbasi filius ab Apollodoro vocatur Agenor, quo in nomine multi haeserunt. Gale h. l. suspicatur excidisse post Ἀγήνωρ, καὶ Ἀρέςωρ, ita ut legatur: ἐξ Ἰάσου δὲ Ἀγήνωρ καὶ Ἀρέςωρ γίνεται; Heynius hanc coniecturam probare videtur; addit enim „et paullo post sect. 3. §. 3. ipse noster scriptor Arestoris filium edit Argum."; quod non utique est verum; non enim Apollodorus Argum Arestoris filium nuncupat, sed a Pherecyde id fieri docet, quo ipso probatur, Apollodorum in tabula sua Argum ab Arestore non deduxisse. Eadem de ratione improbanda sunt Sturzii verba (ad Pherecyd. frr. pag. 161): „Apollodorus ipse vocat Argum Panopten Agenoris filium, quod potest vitium scripturae putari pro Arestoris." Cauti procedamus in his quaestionibus necesse est; tanta enim auctorum est diversitas ut sine iustis argumentis stemma ad alius stemmatis formam refingere nequaquam liceat. Plures hac stirpe occurrunt Agenores, plures Arestores apud diversos auctores; sed originem et ordinem alius aliter constituit. Quare nihil mutandum in Apollodoro.

*) Obiter hoc loco monere liceat, ex hoc Scholiastae testimonio, Pausaniam VI, 21, 7. pag. 508 corrigendum videri, quamvis Wesseling. ad Diodor. Sic. IV, 73. Scholiastam e Pausania emendandum affirmavit. Equidem haud cunctanter apud Pausaniam Πείραντα rescribo pro Πρίαντα.

Agenoris filius Argus II s. Panoptes, cuius fabulam amore quodam praecipuo exornarunt poëtae, quam vero quum ab instituti nostri consilio aliena sit, missam facimus. Homero tota de Panopte fabula incognita fuisse videtur, nisi Mercurii cognomen Ἀργειφόντης huc trahere velis, de cuius tamen derivatione non conveniunt auctores: v. Eustath. ad Hom. Il. II, 103. pag. 182, ubi recte, ni fallor, Argus mythicus ab historico distinguitur. Primus de Jone et Argo Panopte fabulam exposuisse videtur Hesiodus; certe ab eo Jonem Pirenis filiam appellatam tradit Apollodorus; etiam in Aegimii episodio Jonis fabula ab ipso tractata dicitur; cf. Schol. Eurip. Phoenn. 1123 et Valcken. ad Eur. Phoenn. p. 735, ab Heynio laudatos (ad Apollod. pag. 101) *). Recentiores deinde, praesertim tragici poëtae, certatim hoc argumentum sibi elegerunt, in quo ingenium suum exercerent, solertiamque in ornanda et varianda fabula ostenderent.

Natales Argi Panoptae, non minus quam Jus, vel maxime ambiguntur; et omnino in hac genealogiae parte et in exornandis fabulis Aegyptiis usque ad Danaum et Aegyptum immoderate Graeci et Latini libertate usi vel potius abusi sunt, ita ut etiamsi plura eaque integriora his de rebus documenta ad nos pervenissent, difficile tamen foret, veram rei gestae formam inde eruere. Equidem, praesertim quum alii (et quales viri!) in hac quaestione iam exercuerint ingenii acumen et doctrinae ambitum, facile labore supersedeo, satisque fecisse mihi videor, si uno quasi obtutu varias genealogias hic expono:

1) Schol. Hom. Od. II, 120. e Cyclo:

Inachus ᴗ Melia, Oceanitis.
|
Mycene ᴗ Arestor
|
Argus.

2) Eoeae magnae ap. Pausan. II, 16, 3. p. 146.

Inachus
|
Mycene ᴗ Arestor
|
. . .

*) **Verba in Apollodori editionibus, II, 1, 3, 2. pag. 113:** διό φησιν Ἡσίοδος — ὑπὲρ ἔρωτος, **quae Heynio iam ab alia manu adscripta visa sunt, et mihi ab hoc loco aliena et a margine in contextum recepta videntur.**

3) Pherecydes ap. Schol. Eurip. Phoenn. 1123.

Phorbas
|
Arestor
|
Argus Panoptes.

4) Asclepiades ap. Apollod.

Inachus
|
Argus Panoptes.

5) Cercops ap. Appollod.

Asopus
|
Ismene ∪ Argus
|
Argus Panoptes.

6) Apollodorus ipse

Jasus
|
Agenor
|
Argus Panoptes.

7) Acusilaus ap. Apollod. Aeschylus, aliique.

Γηγενής.

Videmus inde Arestorem tribus locis commemorari, e Cyclo (ὡς ἐν τῷ κύκλῳ φέρεται) ap. Schol. Vulg. et Ambr. ad Hom. Odyss. II, 120; ex Eoeis magnis a Pausania II, 16, 3. pag. 146 et a Pherecyde ap. Schol. Eurip. Phoeniss. 1123. Pausanias ex Eoeis non commemorat Arestoris filium, quem recte omisit, quum eius mentio aliena fuisset a loco; narrat tantum, Mycenam, ab Homero laudatam (Odyss. II, 120.) in Eoeis magnis Inachi filiam, Arestoris uxorem perhiberi. At quum satis notum sit, Eoeas magnas Cyclo epico accensitas fuisse, et quum haec genealogia ex Eoeis laudata omnino concinat cum ea quam e Cyclo laudat Homeri Scholiastes, mihi non videtur dubium, ex eodem fonte sua deduxisse Pausaniam et Scholiastam, et ex Eoearum mente Argum fuisse Arestoris et Mycenae filium. Jam igitur quaeritur, quisnam hic Argus fuerit, primusne an Panoptes? Primum non fuisse, ex alio Pausaniae loco (II, 26, 3. pag. 170) videmus, ubi doctus Periegetes ex iisdem Eoeis Argum excitat Jovis filium. Agnovit itaque Hesiodus (siquidem is auctor est Eoearum magnarum) duos Argos, alterum Jovis et Niobae, alterum Arestoris et Mycenae filium, quem a nonnullis Panopten putatum, Pherecydis docet exemplum (ut taceam de Latinis); Tzetzam enim non moror, qui si revera navem, qua vecti sunt Argonautae, ab Argo Arestoris filio

aedificatam refert, pessime lapsus est, et hunc Argum antiquissimum confudit cum Phrixi filio aliquot saeculis recentiore *). Huic Argi Panoptae genealogiae qualem ex Eoeis exposui, proxime accedere videtur Asclepiadis opinio, quam apud Apollodorum (II, 1, 3, 3. pag. 114) legimus, siquidem hic locus sanus est; non loquor de transponendis Pherecydis et Asclepiadis nominibus; nam alterum nomen alterius occupasse locum certissimum est et a viris doctissimis iam diu observatum. V. Valcken. ad Eurip. Phoenn. pag. 733. Heyne ad Apollod. d. l. in notis criticis pag. 114 b. Sturz. Pherec. p. 161. Sed haec non unica labes videtur Apollodori loco adspersa; tota enim ea enuntiatio ὃν Ἀσκληπιάδης μὲν — γηγενῆ αὐτὸν λέγει a loco omnino aliena est; nam si aliam Argi originem exponere voluisset auctor, id supra iam (sect. 2. §. 2.) facere debuisset. Mihi locus spurius simul et confusus et mutilus videtur; coniecturis autem abstineo sine codicibus. Quodsi igitur Asclepiadis opinio recte expressa est, non nimis remota illa fuit ab Hesiodi sententia, certe quoad tempus quo Argum Panoptem vixisse tradunt, quum ex altera Inachi filius, ex altera nepos dicatur. Quomodo secundum hanc genealogiam chronologia et cum Jone synchronismus sibi constet, alii videant; stemmatibus, quae serie continua ad nos pervenere, vix adaptari posse credo; at aliam certe gentis descriptionem dederant Hesiodus et Asclepiades; de Hesiodo mox videbimus; de Asclepiade minus constat; non enim scripsisse videtur genealogias continuas, sed, e Stephani Byz. (s. v. Τράγιλος) testimonio, Τραγῳδούμενα sex libris; fabulas igitur mythicas, tragicis maxime frequentatas, versibus exposuit, itaque non est probabile, consecutionem et ordinem genealogicum praecipuo quodam studio ab eo spectatum fuisse. Quod si admittimus,

*) Tzetz. ad Lycophr. Cassandr. 883. p. 99 a. ed. Potter. dicit: Ἄργος αὐτὴν (Jasonis navem) ἐναυπήγησεν ὁ Ἕσορος ἢ Ἀλέκτορος υἱός. Sturz. ad Pherecyd. frr. p. 162. Ἀρέσορος ἢ Ἀλέκτορος legendum putat. Non displicet; neque tamen sine codicum auctoritate lectionem mutaverim.

non est necessarium, ut ex unius Asclepiadis sententia, Argum Panoptem Inachi filium recipiamus. Quis enim est qui nesciat, saepissime a poëtis heroes non a patris nomine appellari, sed eius qui gentis princeps habetur; ita ut Argus Inachi filius nihil aliud fortasse significet quam ex Inachi prosapia fuisse Argum, eodem modo quo Jo Inachi filia nuncupatur. Aliam de Asclepiadis sententia coniecturam supra iam exposui; sed nimis iam hac in re commoratus sum; pergamus ad alia.

Quis est Arestor ille, de quo Hesiodus et Pherecydes narrant? num de eodem sermo est apud utrumque? Hesiodi fragmentum nudum eius nomen exhibet, de origine viri nihil; Pherecydes stirpem eius generatione continua deducit inde a Jove, Argi patre; quem si ex opinione vulgari Niobae et Jovis filium, Phoronei nepotem, Inachi pronepotem appellamus, eandemque genealogiam Pherecydi comprobatam existimamus, ab Inacho usque ad Arestorem, Argi Panoptae patrem septem computantur generationes. Num vero Arestor, qui septimo gradu distat ab Inacho, eiusdem Inachi gener esse potuit? Id certe nullo modo; manifestum igitur est, ab Hesiodo Arestoris stirpem alia ratione deduci, quam a Pherecyde; sed quomodo, quis dixerit? Cum Pherecyde ea certe ex parte concinit Charax (ap. Stephan. Byz. s. v. Παῤῥασία), ut uterque ab Argo deducat Arestorem, Pherecydes quarta, Charax tertia generatione; et ille quidem Arestoris filium commemorat Argum Panoptem, hic Pelasgum. Quodsi liceret, duos hos Arestoris filios uno stemmate copulare, hoc modo

Arestor

Pelasgus — Argus Panoptes

egregie illustrari videtur Apollodori locus II, 1, 2, 4. pag. 112, ubi tradit auctor, ab Argo Panopte occisum esse Satyrum, τοὺς Ἀρκάδας ἀδικοῦντα. Antiquissima traditio hac narratione latere videtur, quae lucem accipit Characis loco laudato, quo Pelasgus, Arestoris filius, primus colonia ex Argolide deducta Arcadiam occupasse dicitur. Satyrus tum

aboriginum regulus putandus esset, qui, ab Argivis advenis repressus, coloniam novam crebris incursionibus et rapinis vexans ab Argo denique, Pelasgi fratre ac socio occisus est. Eodem referendae sunt aliae Argi res gestae ab Apollodoro narratae, caedes tauri Arcadiam devastantis, et Echidnae, quam Arcadiae fabulis adnumerandam esse, docet Pausaniae locus supra iam laudatus (VIII, 18, 1. pag. 634 fin.).

De Acusilai et Aeschyli (Prometh. vinct. 568. 677. Suppl. 305) ratione, qua terra editus perhibetur Argus, pauca dicenda sunt; eadem enim vocis γηγενής est significatio, quam supra in explicanda voce αὐτόχθων exposui; quare nullius momenti genealogici esse hanc denominationem per se patet.

Argos exstitisse plures in prosapia Inachi non est quod dubitemus, et ab Hesiodo iam duos commemorari supra vidimus. Mox vero hi inter se confusi et alterius res gestae ad alterum translatae sunt. Sic v. g. terrae Argivae id nomen inditum ab Argo, Niobae filio, tradunt Pausanias II, 16, 1. pag. 143. Schol. Eurip. Orest. 1239. Eustath. ad Hom. Il. II, 568 p. 288; mox idem alios secutus auctores ab Argo Panopte appellatam tradit, ad Hom. Il. II, 103. pag. 182. Od. XVIII, 246. pag. 1845. E confusione tantum orta est narratio, ab Argo Panopte ultionem exactam esse de Apidis caede ab eius interfectoribus, quae quidem, ex ipsius Apollodori stemmate, nonnisi ab Argo Niobae filio expeti potuit. Confusio porro in eo latet, quod Cercops Ismenam, Asopi filiam, Argi primi (si quidem is est primus) uxorem perhibet, quam Apollodorus Argo Panoptae nupsisse narrat. Confusione denique Asclepiadis opinio niti videtur, siquidem sensu stricto Argum Inachi filium ab ipso appellatum putamus; si enim in genealogia aliqua Argus Inachi filius vocabatur, de eo certe cogitandum erat, qui Niobae plerumque filius perhibetur. Confusionis exempla plura excitari possunt; at sufficiant haec; inquiramus potius in causam, quae non longe abesse videtur. Omnis perturbatio et tota fabularum seges ex nomine antiquissimo Panoptae orta est, nisi coniectura me fallit. Πανόπτης providum et prudentem

significat hominem; et Argo, sive primo sive secundo, hoc cognomen additum est ob eximiam prudentiam et reipublicae gubernandae peritiam: recentiores quum veram huius vocabuli significationem ignorarent, Jonis custodem Argum Panoptem crearunt, et multi erant in describendo numero et loco oculorum; praecipua scilicet oculorum acie praeditus fuit Panoptes; et vigilante Jonis custode opus fuisse ob Jovis astutiam et Junonis non inanes suspiciones per se manifestum erit. Uter vero maximo iure Panoptae nomen sibi vindicet, utrum Niobae filius an recentior ille Argus, Jonis, si Jovi placet, custos, definire non ausim; fortasse primo illi iam erat inditum, sed ad recentiorem postea translatum est, quum aetas eius Jonis tempori magis convenire videretur. Ceterum duos potissimum Argos distinguendos puto (quamvis plures fuisse non omnino reiiculum sit), alterum Niobae filium; alterum Pelasgi in occupanda Arcadia socium, quorum ille Telchinem occidit et Thelxionem, Apidis interfectores, hic Satyrum, taurum Arcadicum, Echidnam e medio sustulit. De Jonis custodia alii videant, qui sensum interiorem harum antiquitatis fabularum perscrutantur; a meo alienum est consilio, hunc de Argo Panopte et Jone mythum persequi et fusius exponere, quomodo a primis principiis magis magisque excultus sit, donec admistis Aegyptiorum fabulis eo pervenerit ut ornatissimis et celebratissimis totius antiquitatis fabulis recte adnumerari possit. Neque inutile neque iniucundum opus susciperet, qui eiusmodi labori se accingeret.

Argi Panoptae filius Jasus II (si est secundus; v. quae supra de Argi I filio dixi); huius filia Jo, carminibus illa celebratissima. Eius parentes varie traduntur:

1) **Hesiodus et Acusilaus.**

.
.
Piren (es)
|
Jo.

2) **Castor et Tragici plerique.**

Inachus
|
Jo.

3) Pausanias et Schol. Eurip. Or. 920.	4) Apollodorus.
Triopas	Argus Panoptes
|	|
Jasus	Jasus
|	|
Jo.	Jo.

Hesiodus igitur et qui eius vestigia premit Acusilaus, Pirenem patrem habent, quem eundem videri cum Pirante supra iam dictum est; quomodo vero maiores eius deduxerit Hesiodus nescimus, quare etiam cognatio Jonis cum Argo Panopte ex huius genealogi opinione non patet. Castor et Tragici multi (ap. Apollod.) Inachi filiam nuncupaverant Jonem; Callimacho h. in Dian. 254 est Ἰναχιώνη; vocabulum sensu stricto nōn acceperim; erat Inachis Jo, sed non Inachi filia. Ab Jaso patre ipsam deducunt Pausanias (II, 16, 1. p. 145) Apollodorus et Euripidis Scholiasta ad Orest. 920; sed in avo differunt et omnino in linea adscendente. Pausanias quidem loco dicto ubi Inachidarum stemma describit, Jaso natam ponit Jonem; aliis vero locis (I, 25, 1. p. 59. III, 18, 7. p. 256) Tragicos secutus et traditionem vulgarem, Inachi filiam appellat. Apud Herodotum (I, 1) editiones pleraeque legunt Ἰοῦν τὴν Ἰνάχου; Valckenarius τὴν Ἰνάχου tanquam glossema eiiciendum putavit; Wesselingius et Schweigh. tuentur, tanquam vulgarem inter Graecos opinionem. Reizius in contextum recepit Ἰοῦν, et asterisco lacunam indicavit, cuius rei causam in praefat. p. XXI exposuit. Advertit me Pausaniae locus, qui apud Herodotum additamentum illud vel non invenisse vel τὴν Ἰάσου legisse videtur; sic enim dicit (l. d.): Ἰὼ μὲν οὖν Ἰάσου θυγάτηρ, εἴτε ὡς Ἡρόδοτος ἔγραψεν, εἴτε καθ' ὃ λέγουσιν Ἕλληνες, ἐς Αἴγυπτον ἀφικνεῖται. Jasum, Jonis patrem, habet etiam Eustathius ad Hom. Odyss. XVIII, 246. p. 1845, ubi Ἴασον Ἄργος Peloponnesum nominatam docet ἀπὸ Ἰάσου βασιλέως τοῦ τῆς Ἰοῦς; ubi haud dubie supplendum est πατρός, quam vocem saepius omitti probat Sturz. ad Pherecyd. frr. p. 121. Aliam, Pirantis filiam, Callithyiam s. Callithoën e Clemente Alex. et Eusebio laudat Heyne ad Apol-

lod. pag. 99 et 101, eandemque cum Jone fuisse suspicatur (videatur ibi), quia prima sacerdotio Junonis Argivae functa dicitur; Jonem Junonis sacerdotem fuisse satis constat; sed primam, non reminiscor. Sit autem haec res uti viro doctissimo placuit. Petit-Radel, discordia circa Jonis patrem nixus, et ut chronologiae laboranti succurreret, duas fuisse Jones putat, alteram Pirantis (ipse Piranthum semper nominat), alteram Jasi filiam; quidni etiam tertiam, Inachi filiam? Stemma hoc modo constituit:

Niobe
|
Argus

Criasus	Piranthus
Phorbas	Jo-Callithyia. a. C. n. 1670.
Triopas	Epaphus
Jasus	Libya
a. C. n. 1570. Jo II. ∪ Telegonus	Belus — Agenor.
(p. 142) Epaphus.	

Quae quidem ratio quam ob causam minus mihi probetur, alio loco copiosius exposui; adeant igitur ii quorum interest, Annales Vindobonenses (Wiener Jahrbb. d. Lit. 1829. Tom. XLVII. pag. 14 sq.). Ceterum plures feminas Jonis nomine confusas esse Scaliger. ad Euseb. Chron. p. 29. 34 suspicatus iam est; cf. Heyne (p. 100 l. d.). Jonis matrem nullus, quantum memini, commemorat, praeter Schol. Eurip. Or. 920, Leucanam; haud dubie enim erravit Heynius, V. Cl., si a Pherecyde ap. Schol. Eurip. Phoenn. 1123 Jonis matrem Πειθὼ appellari docet. In Scholio illo nil tale reperitur; occurrit quidem Pitho, sed Argi I uxor, Criasi mater.

A Jove gravida Jo ad Nili ripas Epaphum edidit; postea Telegono nupsit, Aegypti regi, quem alii, ut Euripidis Schol. ad Or. 920, Epaphi filium nuncupant, alii Ori filium, aliter alii. Jonis igitur et Jovis vel Telegoni (Syncell. p.

126) filius Epaphus, qui Memphin, Nili filiam, duxit et ex ea Libyam procreavit et Lysianassam (Apollod. II, 5, 11, 7. p. 195) e qua Neptunus Busirim sustulisse dicitur. Sed temporum ratio omnino est contraria. Quomodo enim tandem Hercules Epaphi nepotem debellare potuisset? De Busiri conferendi sunt Heyne ad Apollod. l. l. et Sturz. ad Pherecyd. fr. p. 132 sq. et 137. Libyae ex Neptuno filii Agenor et Belus. De omnibus his videantur ab Heynio ad Apollod. collecta.

Non alienum videtur ab hoc loco notare, in linea descendente ab Jone usque ad Herculem et ultra mire inter se convenire auctores, ut in linea adscendente dici non potest quantum inter se differant. Aeschylus v. g. qui in Prometheo vincto et Supplicibus Danaidarum maiores et posteros describit, ab Epapho usque ad Danaidas generationes quinque, ab Jone ad Herculem tredecim numerat (Prometh. V. 853. 774.), quae computatio est accuratissima, si qualis mos est Graecorum, generationes extremas adnumeramus. At sicubi computationes ultra Jonem adscendunt, difficultates statim oriuntur. Sic v. g. Diodor. Sic. IV, 14. pag. 260 Alcmenam a Niobe Phoronei filia ex mythographorum computationibus decimo sexto gradu descendere affirmat; quomodo haec ad stemmata nostra quadrent, ipse videas. Haec de Apollodori stemmate, transeamus ad Pherecydem.

Pherecydis fragmentum nobis servavit Scholiastes ad Euripidis Phoenissas 1123, qui ipsissima eius descripsit verba; luculento commentario ea ornavit Sturzius in collectione fragmentorum Pherecydis pag. 161 sq., ita ut non multa addenda reliquerit. Praeterea etiam Apollodorus ex eius auctoritate Argum Panoptem Arestoris filium laudavit; de quo loco supra dictum iam est. Quosnam fontes in hac genealogia secutus sit, definire non audeo.

Jupiter
|
Argus ∪ Pitho, Oceanitis
|
Criasus
Phorbas — **Ereuthalion**
|
Arestor
|
Argus Panoptes.

Pitho, Oceani et Tethyis filia, est apud Hesiodum in Theogonia 349. De Ereuthalione nihil inveni; differre enim ab eo qui Hom. Il. VII, 149 occurrit, manifestum est.

Pergamus ad Pausaniam, e quo haec tabula componitur:

Inachus
|
Phoroneus (∪ Cerdo)
(Car) (Clymenus) Niobe (Chthonia) (Europs)
Niobe | **Argus** — Europs | **Hermion**
Argus: **Phorbas (Epidaurus) (Tiryns) Pirasus**
Phorbas | **Triopas**
Triopas: **Jasus (Messene) (Pelasgus) Agenor**
Jasus | **Jo** — Pelasgus | **Larissa.** — Agenor | **Crotopus**
Jo: **(Trochilus) Epaphus** — Crotopus: **Sthenelas (Psamathe)**
Epaphus | **Neptunus ∪ Libya** — Sthenelas | **Gelanor.**
Neptunus ∪ Libya: **Lelex Belus.**

Maxima huius stemmatis pars legitur Pausan. II, 15 et 16. pag. 145; et Jonis posteri I, 44, 5, pag. 106; parenthesi inclusi a Pausania quidem commemorantur, sed non in ipsa stemmatis descriptione; nominantur dispersis locis ubi occasio erat opportuna. De fontibus eius non liquet; Hellanicum tamen et Acusilaum in iis fuisse crediderim; in Triopae certe progenie cum Hellanico consentit; et de Acusilao in ipsa nostra quaestione disputabitur. De Inacho, huius stirpis principe, duplicem refert Pausanias (II, 15, 4. 5. pag. 144) traditionem *); alteram, Inachum, primum Argolidis

*) Locus vix sanus videtur; nam quomodo tandem dici potest,

regem, suo nomine fluvium appellavisse, eumque primum Junoni sacra fecisse; alteram, Phoroneum primum in hac terra hominem fuisse; Inachum enim Phoronei patrem, non hominem sed fluvium exstitisse; quam quidem opinionem ex Acusilao hausisse videtur. Sic enim ex eo refert Syncellus (Chronogr. p. 64 B. C.; ap. Sturz. p. 217 fr. XV.): οὐδὲν ἀξιομνημόνευτον Ἕλλησιν ἱστορεῖται πρὸ Ὠγύγου, πλὴν τοῦ Φορωνέως τοῦ συγχρονίσαντος αὐτῷ, καὶ Ἰνάχου τοῦ Φορωνέως πατρὸς, ὃς *) πρῶτος Ἄργους ἐβασίλευσεν, ὡς Ἀκουσίλαος ἱστορεῖ. Hoc quidem loco (qui mire se habet; quid enim hoc sibi vult: ante Ogygem Graeci nihil habent

ultra Mycenas a Perseo conditas a Graecis de Argolidis historia nihil memoriae traditum esse? Quod quidem per se falsum est, et ridiculum adeo fit eo quod statim Inachi eiusque posterorum historiam subnectit, quae sane ante Pausaniam tradita iam fuerat. Quare τὰ μὲν ἔτι παλαιότερα ad Perseum et Mycenas conditas referre, ineptum foret; interpunctione potius maxima haec enuntiatio ἐν γὰρ τῇ νῦν κ. λ. ab antecedentibus est separanda, et, deleta interpunctione maiore post μνημονεύουσιν, vel in virgulam mutata, cum sequentibus iungenda. Hoc modo periodus, non quidem nimis concinna, probum tamen sensum praebet, et bene sibi respondent τὰ μὲν ἔτι παλαιότερα οὐ μνημονεύουσιν — Ἴναχον δὲ λέγουσιν. At ne sic quidem perspicua est res; quo enim referas τότε non habes; vel igitur delenda ea vox cum Porsono videtur, vel mutanda in πρῶτον; fortasse in lectione vulgata τὸν τότε ποτ. vera lectio latet.

*) Ad quem referendum sit hoc Acusilai loco a Syncello laudato, ὃς πρῶτος Ἄργους ἐβασίλευσεν, ad Inachum an ad Phoroneum, quaeritur. Secundum leges grammaticas rectius ad Inachum videtur; sed si perpendimus, haec ex Acusilai sententia referri, ex huius auctoris vero narratione Inachum fluvium, Phoroneum primum in Argolide hominem et regem fuisse (cf. duo fragmenta ap. Sturz. XVI. p. 218) dubium non erit, ad Phoroneum esse referenda haec verba. Simili modo ap. Pausan. II, 15, 5. p. 145 dissentiunt interpretes, ad quem referendum sit τοῦτον δὲ Ποσειδῶνι κ. Ἡ. Erat quum de Phoroneo dictum putarem; sed aliter nunc sentio, collato Pausan. II, 22. 5. pag. 161; recteque ad uncos damnat Siebelis verba καὶ τὸν Ἴναχον ποταμόν.

memoratu dignum, praeter Phoroneum, qui eodem quo ille tempore vixit?) non perspicimus, de Inacho fluvio locutum esse Acusilaum; sed docemur id a Clemente Alex. (Stromat. 1, p. 321 A. et ex eo Euseb. Praepar. Ev. 10, 12. p. 497 D; ap. Sturz. fr. XVI. p. 218): Ἀκουσίλαος Φορωνέα πρῶτον ἄνθρωπον (ἀνθρώπων ap. Euseb.) γενέσθαι λέγει, in hac terra, ἐν τῇ γῇ ταύτῃ haud dubie, ut addit Pausanias; nam ipsi aequalem fuisse Ogygem ex aliis Acusilai locis videmus (ap. Sturz. frr. XV et XVI.). Si autem Phoroneus primus homo fuit ex Acusilai sententia, certe patrem eius Inachum, non hominem sed fluvium intellexit. Ex eodem porro Acusilao desumta esse, quae Pausanias narrat (in sequentibus) de Inacho, Cephisso et Asterione ab Neptuno et Junone, de regione disceptantibus, electis qui litis arbitri essent, probabili coniectura concludere possumus. In utraque traditione antiquissimum Junonis cultum videmus.

Phoronei uxor, cuius monumentum Argis vidit Pausanias (II, 21, t. pag. 158), Cerdo ab eo vocatur. At, ut dicam quae sentio, haec Cerdo parum mihi placet. Si enim verum est, Pausaniam in his rerum Argivarum principiis Acusilaum consuluisse, si negari nequit Acusilaum, ipsum Argivum, ex Argivorum traditione multa hausisse; si, quod mihi satis probabile videtur, Euripidis Scholiastes, quocum in linea recta mire concinit Pausanias (qua de re v. infra), Acusilai nobis stemma servavit, in quo Phoronei uxor Pitho vocatur; haec omnia, inquam, si vera esse concedimus (multa, fateor, postulo), etiam apud Pausaniam Pithonem Phoronei uxorem commemoratam fuisse, verisimile videtur. Augetur suspicio, eo quod sequenti statim linea apud Pausaniam, Diana Pitho occurrit. Annon fortasse haec nomina transponenda sunt, ita ut Phoronei uxorem habeamus Pithonem et Dianae templum ἐπίκλησιν Κερδοῦς? Quod cognomentum non repugnat quidem explicationi a Pausania datae. At libera est coniectura, in qua equidem non persisto.

Phoronei filii Car et Europs, filia Niobe. Car, Megaridis rex, primus Megarenses agriculturam docuit. Pausan. I,

39, 4. 5. p. 95. I, 40, 5. p. 97. cf. etiam Eustath. ad Hom. Il. II, 867. p. 367 lin. 21. Eius posteri non recensentur. Europs (aliis est Europas) et Hermion, eius filius, est Pausan. II, 34, 5. pag. 191. Herophanes Troezenius spurium Phoronei fuisse filium Europem suspicatus est; non enim successisset Argus Phoronei e filia nepos, si legitimus filius fuisset Phoroneo. Pausaniae haec ratio non probatur, et Phoronei filium nunquam Jovis filio parem potestate futurum fuisse affirmat. De hoc loco cuius sensus non omnino perspicuus est, in parte huius libelli secunda plura dicentur. Niobe, Phoronei filia, Argi ex Jove mater, Pausan. II, 22, 6. pag. 161. Eius monumentum Argis visebatur Pausaniae tempore. Argi filii Pirasus et Phorbas (II, 16. 1. p. 145) et praeterea Tiryns et Epidaurus. De Clymeno et Chthonia, ex Hermionensium traditione, Paus. II, 35, 3.

Pirasus statuam Junonis antiquissimam Tirynthe dedicavit, custodem fortasse urbi nuper a Tirynthe fratre conditae (II, 17, 5. p. 148) Phorbas quantum scio a solo Pausania Argi filius nuncupatur; apud Pherecydem et Scholiastae ad Eurip. Orest. 920 auctorem Criasi est filius, Argi nepos. Fuit forte hac in re, ut quamplurimis in aliis, traditionum diversitas; at quum, quod rarissime in nostra quaestione evenire solet, Pausanias cum Scholiastae laudati auctore linea recta ab Inacho usque ad Jonem, praeter hanc unam generationem omnino consentiat, et quum hanc concordiam haud facile fortuitam esse, sed inde ortam putare debeamus, quod eundem auctorem uterque secutus sit, apud Pausaniam excidisse Criasum et hoc modo legendum putaverim: Ἄργου δὲ Πείρασος γίνεται καὶ Κρίασος· τοῦ δὲ (vel Κριάσου δὲ) Φόρβας. Facile nominum Πείρασος et Κρίασος similitudo librarios in errorem inducere potuit. Tiryns est Paus. II, 25, 7. p. 169 e traditione Argi filius, Jovis nepos; Epidaurus ex Argivorum traditione et Eoearum auctoritate Argi filius Jovis nepos II, 26, 3. p. 170; sed neuter absque controversia; Tiryns enim ab Eustathio ad Hom. Il. II, 559. p. 286, l. 27 Amphitryonis frater vocatur (καλεῖται Τίρυνς ἀπὸ Τι-

ρυνθος, ἀδελφοῦ Ἀμφιτρύωνος); apud Stephanum Byz. s. v. Tiryns, haec urbs nominata perhibetur ἀπὸ Τίρυνθος τῆς Ἄλω (Ἀναξοῦς?) θυγατρὸς, ἥτις Ἀμφιτρύωνος ἦν ἀδελφή. Quid de hoc Amphitryonis fratre, vel Anaxus filia dicam plane non habeo; hoc quidem certum est a neutro Tirynthem neque conditam, neque nominatam esse. Epidaurus ex Eleorum traditione Pelopis filius ap. Paus. l. d.

Phorbantis filius Triopas nominatur a Pausania II, 16, 1. p. 145 et IV, 1, 2. p. 280; sed ne careat difficultate vel unum argumentum genealogicum, ab eodem VII, 26, 5, ex Argivorum relatione, ordine inverso Phorbas, Triopae filius, Pellenis pater; de Argivis esse sermonem e Pausaniae verbis patet. Siebelis loco nostro rescribendum putat Τριόπα δὲ εἶναι τοῦ Φόρβαντος παῖδα, me non probante; nam in hymno etiam Homerico in Apoll. 211 commemoratur Phorbas Triopae filius (— ἢ ἅμα Φόρβαντι Τριόπου γένει —), quare Phorbantem hunc Triopae filium distinguendum censeo a Phorbante Triopae patre. Plures exstiterunt Phorbantes, plures Triopae, saepe, quae fatalis antiquitatis necessitas videtur, inter se confusi. De variis Phorbantibus Siebelis laudat Baylii Diction. s. v. Phlegyas, de Triopae Phorbantisque nominibus a librariis saepe corruptis Wesseling. ad Diod. Sic. IV, 58. Triopas Inachida non raro confunditur cum alio eiusdem nominis ex Aeolidarum gente, et magnus adeo Spanhemius in hunc errorem incidit (ad Callimach. hymn. in Del. 160. p. 426 ed. Ultraj. 1697.). Conferri praeterea potest de hac re Sturz. ad Hellanic. frr. pag. 73 sq. fr. XXVIII. — Habemus igitur Phorbantem Triopae filium, a nullo alio auctore, quantum reminiscor, commemoratum, praeter Pausaniam et hymnum Homericum, at aeque tamen bene probatum ac multos alios. Pellenem praeter Pausaniam Apollonius Rhod. I, 176 etiam laudat, Pellenae conditorem. Si nobis liceret Pausaniae stemmati Apollonii subnectere tabulam, haec stirpis foret facies:

Argus
|
.
|
Phorbas
|
Triopas
|
Phorbas
|
Pellen (es)
|
Hyperasius

Asterius   Amphion

Argonautae.

At si accuratius rem inspicimus contra omnem temporis rationem pugnare hoc stemma videbimus, quum numerus sex generationum a Phorbante usque ad Asterium et Amphionem nullo modo sufficiat. Ubi igitur latet vitium? Pausanias Pellenis posteros, Apollonius maiores omisit, uterque Pellenam Achaicam ab eo conditam refert. Difficultatem Apollonii interpretatione tollendam puto. Nominatur ab Argonauticorum auctore Pelles πατροπάτωρ Asterii et Amphionis quod proprie avum significat; hoc autem loco haud dubie poëta nihil aliud dicit, quam Pellenem e maioribus Asterii fuisse eiusque urbis conditorem unde profecti Asterius et Amphion expeditioni in Colchidem interfuere. Sic igitur inter Pellenem et Hyperasium plures desunt generationes et chronologia salva est.

Triopae filios in ipso gentis stemmate recenset Pausanias Jasum et Agenorem, aliis locis addit Pelasgum (I, 14, 2. p. 34. II, 22, 2. p. 160. II, 23, 9. p. 165) et Messenam filiam (IV, 1, 2. p. 280). In hac Triopae filiorum enumeratione Hellanicum secutus videtur Pausanias; ex eadem vero Hellanicum hac in parte in Apollodori fontibus non fuisse recte concludimus. Scholiastes ad Homer. Il. III, 75 ex Hellanici Argolicis tres Triopae filios laudat Pelasgum, Jasum et Agenorem natu minimum. Eadem ex eodem Hellanico refert Eustathius ad Homer. l. l. p. 385 (locum utrumque

habes in Hellan. frr. Sturz. VII. p. 49), eo tamen discrimine ut Jasum, Pelasgum et Agenorem non Triopae sed Phoronei filios perhibeat, qua in re vel auctor, vel librarius erravit, de Triopae enim prosapia locutus est Hellanicus. Jasus et Pelasgus prolem masculam edidisse non videntur. Messene, eorum soror (IV, 1, 2. p. 280) Polycaoni nupsit, Lelegis filio minori, qui omnino diversus est a Lelege Libyae filio. Jasi filia Jo, huius filius Epaphus (Paus. I, 44, 5. p. 106); et eiusdem Trochilus. Pausanias huius quidem mentionem facit (I, 14, 2. p. 34), sed sine patris nomine; quod omnino nusquam inveni; Jonem matrem fuisse docet Schol. ad Arati Phaenomm. 161. Ex Argivorum traditione Trochilus e patria profugus in Atticam abiit, ubi uxorem duxit Eleusiniam e qua Eubuleum et Triptolemum procreavit; addit vero Pausanias, ab Atheniensibus et qui ab eorum partibus stent, haec negari. Triptolemi et Autochthonum atheniensium genus alii copiose iam descripserunt, qui de Cereris religione exposuerunt. Epaphi filia Libya, e qua et Neptuno Belus et Lelex (I, 44, 5. p. 106. IV, 23, 5. p. 337). Lelegis posteri alio loco, in Megaricis, describentur; de Beli prosapia v. caput sequens; Agenorem, Beli fratrem, Pausanias non commemorat. Agenoris Triopidae stirpem usque ad Gelanorem a Danao pulsum, Pausanias exhibet loco saepius laudato II, 16, ubi conferendae sunt interpretum notae. Psamathe, Crotopi filia, Paus. I, 43, 7. p. 105. II, 19, 7. p. 154. — Gelanor ab Eustathio ad Hom. Il. I, 42. p. 37 l. 32 Hellanor nominatur.

Pelasgus Triopae filius occurrit Paus. II, 22, 2. pag. 160 sq.; sine patris nomine I, 14, 2. p. 34. II, 23, 9. p. 165; et cum falso Arcadis patris nomine II, 14, 3. p. 143. Omnibus his locis de eodem sermonem esse nunc demonstrandum erit (— fusius ea de re actum est in Annalib. Vindobb. l. d. p. 16 —). Pausanias describit II, 22, 2. templum Cereris Pelasgidis a Pelasgo Triopae filio conditum, eiusdemque Pelasgi sepulcrum; I, 14. 2 refert ex Argivorum traditione, Cererem quum Argos venisset, a Pelasgo hospitio

receptam, ipsum agriculturam et panificium docuisse; haec enim haud dubia Deae munera sunt, de quibus Argivi cum Atheniensibus contendisse dicuntur; hunc Pelasgum diversum non fuisse ab eo qui Cereris Pelasgidis templum aedificavit, extra dubium positum censeo, neque est quod dubitemus de eo qui II, 23, 9. nominatur. Difficilior est quaestio de Pelasgo qui II, 14, 3. laudatur. Loquitur Pausanias de Cereris initiis; haec, sic tradunt Phliasii, Phliunte primus docuit Dysaules, Celei frater, Eleusine ab Jone eiectus; post mortem sepultus est eodem vico quo Arantis tumulus est; ne vero inde concludas Arantem et Dysaulem aequales fuisse, addit Periegetes, Arantem, Promethei aequalem, tribus generationibus maiorem fuisse Dysaule; hunc enim eodem tempore vixisse quo Atheniensium Autochthones et Pelasgus. Autochthones certe intelligendi sunt illi, qui a Clemente Alex. protrept. ad gent. p. 13 γηγενεῖς vocantur, Baubo, Dysaules, Triptolemus, Eumolpus et Eubuleus, iidem de quibus Pausanias egerat (I, 14, 2.) tanquam Pelasgi aequalibus. Jam quum nostro etiam loco de initiis Cereris institutis sermo sit, quum manifeste satis doceatur, Dysaulem eodem fere tempore initia Phliunte docuisse, quo Autochthones et Pelasgus, quis tandem negabit hunc Pelasgum eundem esse cum eo qui Cererem hospitio exceperit et qui accepto ab ea agriculturae munere templum Cereris Pelasgidis dicaverit? Res omnino foret plana et manifesta, nisi diceret Pausanias, Arantem τρισὶν ἀνθρώπων γενεαῖς Πελασγοῦ εἶναι πρεσβύτερον τοῦ Ἀρκάδος. Quid sibi vult τοῦ Ἀρκάδος? Num Arcadis filium nominat Pelasgum? Petit-Radel adoptat hanc opinionem; sed rationes suas addidisset, velim; a quonam alio auctore Pelasgus Arcadis filius, commemoratur? A nullo, quantum scio; quamvis enim, non exstitisse eiusmodi hominem, inde concludere nolim, mirum tamen est, Phliasios aetatem eius quem urbis suae conditorem iactabant, definiisse ex aetate alius hominis neutiquam celebrati. At non fuit Arcadis filius, et Petit-Radel ipse collatis reliquis Pausaniae locis, spurium hunc et familiae

Arcadum regiae intrusum hominem eiiciet. In mentem venerat, τοῦ Ἀρκάδος non de patris, sed de populi explicare nomine, quod Eustathii loco (ad Homer. Il. II, 603. p. 300 l. 13) comprobatur: ὅτι ὁ Ἀρκὰς τό τε κύριον καὶ τὸ ἐθνικὸν συςέλλει τὸ ᾱ, καὶ ὀξύνεται, καὶ διὰ τοῦ δος κλίνεται. Idem Siebelisio placuisse video, ad 1, 14, 2.; sed nostro loco neque in versione latina „Pelasgo Arcadis filio" correxit, neque in commentario de ea re monuit. At, ingenue sit dictum, neque Pelasgus, Arcadis filius, neque Pelasgus Arcas hoc loco expedit, quum sermo sit de Pelasgo Triopae filio Argivo. Quare τοῦ Ἀρκάδος vel eiiciendum puto tanquam glossema (ut distinguatur scilicet hic Pelasgus a Thessalico sciolus quidam addere potuit τοῦ Ἀρκάδος), vel erratum est, ab auctore an a librario non definio.

Pelasgi filia Larissa Paus. II, 23, 9. p. 165; mentionem eius facit praeterea Hellanicus (ap. Schol. Apollon. Rh. I, 40. et ex eo Phavorin., ad quem locum in quaestionis parte secunda rediturus sum), latetque eius nomen in arcis Argivae a Pelasgo conditae nomine (v. Hellan. frr. Sturz. p. 49 sq.). Larissa ab aliis (Dionys. Halic. Ant. Rom. I, 17 sq. Eustath. ad Hom. Il. II, 683. p. 320 l. 24) Neptuno, ab aliis (Eustath. ad Homer. Il. II, 684. p. 321 l. 25) Aemoni s. Haemoni nupsisse dicitur; mittamus autem hoc loco Neptunum et de Haemone videamus, cuius genus aptissime hic describetur. Sed altius est repetendum.

De Thessaliae historia et nominibus antiquissimis varia eaque diversa traduntur. Strabo (IX, p. 677) Thessaliae nomen antiquissimum fuisse docet Pyrrhaeam a Pyrrha Deucalionis uxore; postea Haemoniam vocatam esse a Haemone, Thettaliam denique a Thettalo Haemonis filio. Audiamus Dionysium Halicarnassensem, qui l. l. sic narrat: Sexta generatione post Pelasgum, Niobae et Jovis filium, Phoronei nepotem, Pelasgorum colonia Argis relictis Achaeo, Phthio et Pelasgo, Neptuni e Larissa filiis, ducibus in eam terram abiit quae Haemonia tum temporis, Thettalia nunc nominatur. Barbaris terram incolentibus eiectis, tripartitam divise-

runt, et e ducum nominibus Phthiotidem, Achaiam et Pelasgiotidem appellaverunt. Sexta vero iterum generatione post e Thessalia eiiciuntur a Curetibus et Lelegibus (qui postea Aetoli et Locri) aliisque Parnassi accolis, Deucalione duce, Promethei filio. Secundum hanc opinionem terrae appellatio antiquissima Haemonia fuisset, recentior Thessalia, novissima Pyrrhaea, siquidem antiquarius doctissimus id nomen a Pyrrha Deucalionis uxore derivandum putavit. Aliter iterum Eustathius ad Hom. Il. II, 684. p. 321, auctorem nescio quem secutus: Thessalia appellata est a Thessalo, huius regionis rege; cuius nepos Haemon, a quo Haemoniae nomen; duxit is Larissam Argivam et ex ea sustulit Pelasgum, Phthium et Achaeum, a quibus Argos Pelasgicum, Larissa, Phthia et Achaia nominatae. Eadem regione regnavit Deucalion, cuius filius Hellen, a quo Hellenes, huius Xuthus, huius Hellen et Achaeus, ἀφ' οὗ πάλιν Ἀχαιοὶ ὠνομάσθησαν. Achaei igitur a duobus Achaeis nomen accepissent, ut v. g. Phocis a duobus Phocis, altero Aeaci, altero Ornytionis filio. Patet igitur ex Eustathii narratione, Thessaliam a quibusdam regionis eius de qua agitur nomen antiquissimum putatum esse, Haemoniam recentius et Pyrrhaeam recentissimum, si omnino id agnovit; at hoc certe perspicimus, ex Eustathii opinione Deucalionem et Pyrrham Thessalo fuisse recentiores et ad Phthii, Achaei, Pelasgi fortasse tempora deducendos. Alii aliter iterum (cf. v. g. Schol. Apollon. Rhod. III, 1089); quos silentio praetermitto, praeter Rhianum, qui in ordine nominum Thessaliae constituendorum plane concinit cum Strabone, at maioris est momenti, quoniam Haemonis genus copiosius descripsit (— nam diversas de Thessaliae denominatione opiniones in concordiam inter se et cum chronologia redigere a meo labore alienum est; videant ea de re alii —). Quare redeamus nunc ad genealogiam Haemonis; nam Thessalicum illud episodium ideo praemittendum mihi visum est, quod nominum illorum consecutione generationum etiam consecutio indicatur.

Rhiani versus servati sunt a Schol. Apollon. Rhod. III, 1089:

Πύῤῥαν δήποτε τήνγε παλαιότεροι καλέεσκον
Πύῤῥης Δευκαλίωνος ἀπ' ἀρχαίης ἀλόχοιο·
Αἱμονίην δ' ἐξαῦτις ἀφ' Αἵμονος, ὅν ῥα Πέλασγος
Γείνατο φέρτατον υἱόν· ὁ δ' αὖ τέκε Θέσσαλον Αἵμων·
Τοῦ δ' ἄπο Θεσσαλίην λαοὶ μετεφημίξαντο.

Haemonis stirpem diverso modo describit Stephanus Byz. s. v. Aemonia, et quod mirum est ex eodem Rhiano (ὡς Ῥιανὸς καὶ ἄλλοι.); quo exemplo docemur quanta cautione procedamus necesse est in adhibendis ipsis fontibus. Hac in re errorem auctoris potius quam librariorum admitto; Rhiani enim genealogiam a Stephano Byz. expositam non esse, docent ipsi Rhiani versus a Scholiasta Apollonii l. d. servati; erravit igitur Stephanus in laudandis testibus; unde vero quae tradit hauserit, non inveni. Stemma hoc exhibet:

Pelasgus
|
Chlorus
|
Aemon
|
Thessalus.

Ab hoc Aemone Aemoniam dictam perhibet; de Chloro, si sana est lectio, nihil reperi. — Rhianus igitur in versibus supra appositis Haemonem Pelasgi filium nuncupat; sed quis hic Pelasgus? Num fortasse is quem Acusilaus et Dionys. Hal. A. R. I, 17 Niobae filium appellant? Quam coniecturam si admittimus et e Rhiano Eustathioque Pelasgi, e Pausania Argi lineam descendentem coniungimus, haec erit tabula:

Niobe υ Jupiter

Argus	**Pelasgus**
Phorbas	**Haemon**
Triopas	**Thessalus**
Pelasgus	**Aegon**
Larissa — υ —	**Haemon**

Pelasgus Phthius Achaeus.

Haemon I, Thessali pater, praeter Rhianum, a Strabone commemoratur (IX, p. 677). Thessali prosapia, qualem in tabula exposui, desumta est ex Eustathii l. d. p. 321 *). Paulo aliter habet Schol. Villois. ad Hom. Catalog. 188, hoc modo:

Thessalus
|
Ammon, a quo Ammones.
Pelasgus Phthius Achaeus.

Veritati propior videtur Eustathius, certe quod attinet ad nomen Haemonis et Haemoniae. Aegonis nomen vel excidit vel alios auctores secutus est Villoisonii Scholiasta.

De Haemonis et Larissae progenie plura variorum auctorum prostant fragmenta, quae quamvis parum cohaerentia in unum quasi corpus componere oculisque uno stemmate subiicere liceat, qua tamen in re tenendum est, hanc meam esse compositionem, cuius singulae tantum partes, non corpus integrum antiquitatis comprobatur testimoniis. De compositionis rationibus mox dicturus sum.

Haemon υ Larissa
Menippe υ Pelasgus — Achaeus — Phthius
Penei filia
Pelasgus | Phrastor | Amyntor | Teutamides | Nanas
Phthius | Asterius υ Amphictyone | Dotis.
Achaeus: Phthius (Architeles) (Archander)
Phthius: Automate υ Architeles — Hellen — Archander υ Scaea
Automate: Danai filia.
Scaea: Danai filia
Archander υ Scaea | Metanastes.

Pelasgum eiusque usque ad Nanam posteros ex Hellanici

*) In Codice Vindob. Hist. Gr. CXIII. fol. 112 p. 2 totus hic Eustathii de Thessalia locus excerptus est; in quibusdam codex ab exemplari impresso recedit. Aegonis filius recte Αἵμων vocatur, c. spiritu aspero; item Haemones; sequentia sic: οὗ καὶ Λαρίσσης γυναικὸς, Ἀργειὸς καὶ Πελασγὸς καὶ Φθίος καὶ Ἀχαιός. Emendatio in promtu est.

Phoronide excerpsit Dionys. Hal. A. R. I, p. 22, 27 (ap. Sturz. fr. LXXVI, p. 108); at neque patrem eius indicat neque matrem, quare nonnisi e coniectura Haemoni et Larissae eum subiunxi. Dionysium de eodem intellexisse, quo duce Argivi Thessaliam occupaverint, h. e. de Larissae filio *), satis demonstrat comparatio loci supra laudati I, 17, et bene convenit numerus aetatum hominum a Pelasgo, primo Pelasgorum in Thessalia rege, usque ad Nanam, quo regnante Pelasgi a Deucalione eiecti in Italiam abierunt. Etiam Petit-Radel, V. doctissimus, hunc Pelasgum de Larissae filio intellexit; id quidem recte, me iudice; sed in eo lapsum puto, quod tempus a Pelasgo, Niobae filio, usque ad expulsos e Thessalia Pelasgos nimis in breve contraxit; Dionysius enim undecim fere computat hominum aetates, h. e. 350 circiter annos; e Petit-Radelii tabula nonnisi 210 prodeunt, quae quidem differentia 140 annorum maior est quam quae probari possit; sed videant alii quomodo genealogias heroicas et chronologiae rationes in concordiam redigant, ipsis acclamo: quod felix fortunatum faustumque sit! sed ipse abstineo, probe persuasus stemmata vera, historiae fide comprobata, in systema chronologicum redigi posse; at ore per saecula tradita, a poëtis reficta, saepe mutata, prout fabula postulare videbatur, ab historiarum deinde conditoribus restituta, scilicet, brevi, qualia prostant stemmata, chronologiae, secundum annos distributae vincula semper recusatura esse. De Pelasgi prosapia non habeo quae addam a Sturzio dictis, nisi quod eius de Teutamide opinioni accedere non possum. Apud Apollodorum II, 4, 4, 2. p. 144 Teutamias occurrit Larissaeorum rex; Tzetzes ad Lycophr. 838 (p. 93 b.) eundem Teutamidem appellat, quem adiisse Acrisius senex narratur; iam hunc et nostrum Amyntoris filium eundem fuisse opinantur Heyne (in notis crit. ad Ap. l. d.) et Sturz (l. l.). At quomodo Teutamides, Amyn-

*) De eodem loquitur Staphylus Naucratites ap. Schol. Apollon. Rh. I, 580. Eodem l. commemoratur etiam Pelasgus, Inachi filius.

toris filius, et Acrisius aequales esse potuerint, non docent viri clarissimi; quod explicatione tamen indigere videtur, quum Acrisius gradu nono distet ab Jaso, Teutamides Amyntorida sexto gradu a Pelasgo, Jasi fratre gemello. Porro si Acrisius se contulit ad Teutamidem Amyntoridam, inde sequeretur Acrisium ante Deucalionem vixisse, quum Nanas Teutamidae filius ab hoc e Thessalia eiectus perhibeatur. Quae res quam parum conveniat temporum rationibus non est quod demonstremus; res per se est manifesta. Acrisii igitur ad Teutamidem abitum vel Tragicis debemus, non nimiis chronologiae admiratoribus, vel hic Teutamias omnino distinguendus est ab Amyntoris filio.


In Phthii, Achaei et Hellenis nominibus magna apud veteres est confusio quum eadem nomina in gente Hellenica et Pelasgica occurrant. Alio loco haec res copiosius tractabitur. Phthium, Larissae et Haemonis (s. Neptuni) filium plures habent auctores supra laudati; ad hunc refero Amphictyonam, Asterii uxorem, Dotis matrem, a quo Dotium in Thessalia urbem conditam tradit Pherecydes (ap. Stephan. Byz. s. v. Δώτιον; ap. Sturz. fr. IV. p. 81); neque tamen in hac opinione persisto, lubensque meliora amplectar. Ceterum neque de Amphictyona, neque de Asterio, neque de Doti inveni quae illustrandae huic quaestioni inservire possint. Tertius Larissae filius Achaeus; cuius filium Phthium commemorat Herodotus II, 98 (— ἡ πόλις δοκέει μοι τὸ οὔνομα ἔχειν ἀπὸ τοῦ Δαναοῦ γαμβροῦ, Ἀρχάνδρου τοῦ Φθίου τοῦ Ἀχαιοῦ —) Wesselingius ad h. l. ob Pausaniae testimonium (de quo infra) τοῦ Φθίου non patris sed patriae nomen significare autumat. Me quidem non fugit, Phthiotidis incolam et Φθῖος et Φθιώτης audire (cf. Eustath. ad Hom. Il. II, 683, p. 320, 25); sed ab aliis haec nomina distingui idem Eustathius docet lineis sequentibus, et clarius Moschopuli scholion ineditum codicis Vindob. ad Il. I, 168 ἔϛι Φθία τὰ νῦν Φάρσαλα· οἱ ἀπὸ ταύτης Φθιῶται· Φθῖοι δὲ ἐλέγοντο οἱ περὶ Μεθώνην, οἳ ὑπὸ τῷ Φιλοκτήτῃ ἦσαν. Herodotus ipse, ubi de Phthiae incolis loquitur, formam

adhibet Φθιώτης; sic VII, 132 Ἀχαιοὶ οἱ Φθιῶται. Si priorem illum Herodoti locum per se spectamus, neque aliam respicimus auctoritatem, vix dubitabimus, Herodotum de Archandro, Phthii filio, Achaei nepote, non autem de Archandro Achaei filio, Phthiota, loqui, quod iam e vocabulorum collocatione prodire videtur. Si praeter Herodotum nullus alius de Phthio, Achaei filio, mentionem faceret, tamen hac in re, ubi omnia sunt controversa, caute procedere, neque ob aliorum silentium, hunc Phthium damnare deberemus; iam vero Phthius, Achaei filius, laudatur a Stephano Byz. s. v. Ἑλλάς, et ab Eustathio ad Hom. Il. II, 683. p. 320, l. 30 Ἑλλὰς δὲ ὑπὸ Ἕλληνος ἐκτίσθη, οὐ τοῦ Δευκαλίωνος υἱοῦ, ἀλλὰ τοῦ παιδὸς Φθίου, ὃν ἔτεκεν Ἀχαιός. Diversa igitur de Archandri natalibus tradebantur, et Herodotus alios sequitur auctores, quam Pausanias. Si autem Archander Phthii filius, item et Architeles erit. Equidem Herodoto magis assentior quam Pausaniae, qui Archandrum et Architelem Achaei filios *), Danai generos (idem de Archandro Herodotus) appellat, quum ille Scaeam, hic Automaten duxerit. Archandri filius Metanastes. V. his de rebus Pausan. II, 6, 2. p. 125 et VII, 1, 3. p. 522. Herodoti ratio ideo praeferenda mihi videtur, quod temporibus magis convenit, quamvis ne sic quidem bene perspiciatur, quomodo Archander et Architeles Danai generi esse potuerint. Aliquot generationes exciderint necesse est. Ceterum descendere Architelem et Archandrum ab Achaeo, Larissae filio, non Xuthi, historicis mihi persuadeo argumentis, quae in parte secunda exponentur. Hellen, Phthii filius

*) Lectio Pausan. II, 6, 2 est dubia; τοὺς Ἀχαιοῦ Sylb. correxit e VII, 1, 3; bene. E Codicibus Vindob. hanc mihi enotavi varietatem: Cod. Hist. Gr. LI: πρὸς ἄσχανδρον καὶ ἀρχιτέλη τοὺς ἀχαιοὺς συμμαχήσοντα. Cod. Hist. Gr. XXIII: πρὸς ἄσχανδρον καὶ ἀρχετέλη τοὺς ἀχαι.. (ob correcturam ultima syllaba non clare apparet; vel οῦ fuit vel οἶς) συμμαχήσοντας. In utroque codice fratrum alter Aschander et Haschander nominatur.

tertius, commemoratur ab Eustathio ad Hom. Il. II, 683. p 320, 30.

Restat ut Inachidarum stemma ex Euripidei Scholiastae sententia exponamus. Duobus ille locis Inachi stirpem descripsit; ad Orest. 1239 Phoronei genus usque ad Argum et Phegei prosapiam; ad Orest. 920 omissa Phegei familia, Inachi posteros usque ad Danaum et Aegyptum. Quamvis in libris impressis alter locus cum altero non omnino concinat, nullus tamen dubito quin haec differentia librariis sit adscribenda, itaque haud cunctanter Phegei prosapiam in tabula suo loco inserui. Unde Scholiasta sua hauserit, affirmare non audeo; Acusilaum tamen ipsi in fontibus fuisse, haud contemnendis rationibus probari posse opinor; ob fragmentorum exilitatem huius scriptoris, nonnisi intra coniecturae terminos continere se debere hanc quaestionem, non est quod moneamus. Phegei genus et uxores regum nonnullorum Argivorum ex solo hoc Scholiastae loco discimus. En tibi tabula:



Inachi igitur e Melia filii nominantur duo Phoroneus et Phegeus, qui ad Orest. 920 Pegeus vocatur; quum ob consensum utriusque Scholiastae loci uterque ex eodem fonte fluxisse dicendus sit, alterum ex altero corrigendum censeo; quamquam in universum in his nominibus antiquissimis non omnia ad amussim esse exigenda, sed multa linguae vicissitudinibus et dialectis tribuenda esse iudicem. Plures exstiterunt Phegei; de recentiore quodam, qui Erymanthi regnavit, urbemque mutato nomine Phegiam appellavit, alio loco dicetur; permutatur interdum cum nostro multo antiquiore, Phoronei fratre, v. g. a Charace ap. Stephan. Byz. s. v. Φήγεια: Φήγεια — ἀπὸ Φηγέως βασιλέως, ὡς Χάραξ Ἑλληνικῶν δ̄. Φηγεὺς δὲ ὁ ἀδελφὸς τοῦ Φορωνέως ἔκτισε πόλιν Φήγειαν, ἣ πρὶν Ἐρύμανθος ἐκαλεῖτο· ὕστερον δὲ Ψωφὶς ὠνομάσθη, ὡς ἐροῦμεν (s. v. Psophis) ἀπὸ τῆς μητρός. In hoc loco plura latent vitia. In fine desideratur nomen, a cuius matre Psophis dicta sit urbs; facile e Pausania VIII, 24, 1. pag. 644 restituimus Echephronem et Promachum, Herculis e Psophide Sicula filios, a quibus Phegiae urbi Psophidis nomen inditum. Omnino hoc articulo Stephanus Pausaniam secutus videtur, ita ut verba tantum ἀπὸ Φηγέως βασ. ὡς Χάρ. Ἑλλ. δ̄. ad Characem referenda sint, sequentia e Pausania hausta dicantur Comparatio loci utriusque hanc coniecturam non omnino esse vanam docebit. Pausanias recte rem gestam enarrat; loquitur enim de Phegeo, Alphesiboeae patre, Alcmaeonis socero; Stephanus male de antiquiore illo Phegeo intelligens, explanandae rei causa inserit ὁ ἀδελφὸς τοῦ Φορωνέως, eoque rem turbat; tradit enim quod fieri nequit; quum Phegeus, Phoronei frater, Erymantho multo sit antiquior, eadem urbs prius Erymanthus, serius Phegia appellari non potuit; iusto etiam sensu carere videtur, urbem a Phegeo conditam antea Erymanthum vocatam esse; quomodo enim urbs nondum condita nomine gaudere potuit?

Petit-Radel hunc Phegeum, Aezeum (si lectio sana) a Dionysio Hal. I, 11. p. 30 commemoratum, et Jasum a Schol.

ad Eurip. Orest. 1642 laudatum, unum eundemque esse affirmat; tres esse formas eiusdem nominis »car Aezeus et Jasus ne différaient sans doute que par une métathèse de dialecte, et Phégée ne différait des deux autres que par l'emploi du digamme éolien dans la prononciation.« pag. 97. »Phegeus« et »Jasus« nonnisi dialecto differre credat cui placet; equidem eo maxime offendor, quod vir doctissimus non animadvertisse videtur, Aezei progeniem apud Dionysium omnino differre a Phegei prosapia ap. Schol. Eur. Or. 1239; rationes vero unde pateat Jasum, Arestoris patrem, fuisse Inachi filium, addere prorsus oblitus est. Quem laudat Schol. Eurip. Or. 1648 nihil de hac re docet; Jasi vero nomen in Ecbasi mutandum esse, supra iam probasse mihi videor, et infra, ubi inserendus sit, monstrabo. De Dionysii Halic. l. d. in Arcadicis plura dicturus sum.

Phegei filii a Scholiasta nominantur Sparton et Messon; et nepos e Spartone Mycenneus. De Messone nihil mihi constat, de reliquis est controversia. Pausanias II, 16, 3. pag. 146 postquam de Mycena locutus erat, addit: ὃν δέ φασι προςποιούμενοι ἀκοῦσαι λόγον, Μυκηνέα υἱὸν εἶναι Σπάρτωνος, Σπάρτωνα δὲ Φορωνέως; sic quidem Siebelis in ed. minore expressit lectionem vulgatam; in editione maiore Facii coniecturam (quae Clavierio etiam et Schneidero placuit) recepit — τῇ πόλει φασίν· ὃν δὲ προςποιοῦσιν ἀκοῦσαι λόγον, Μυκηνέα κ. λ. Corayus coniecit ὃν δὲ πρὸς τούτοις ἤκουσα λόγον. Porsonius — τῇ πόλει φασίν· ὃν δὲ προςποιοῦσι Ἀκουσιλάῳ λόγον; probat Sturz. et recepit Im. Bekker. Lectiones Codicis Vatic. φασίον προςποιοῦσι ἀκοῦσι λόγον et Vindobonensis *) et Mosq. — τῇ πόλει φασὶ, ὃν δὲ προς-

*) Liceat hoc loco dicere quaedam de Codicibus Pausaniae Vindobonensibus, qui hucusque non satis accurate descripti sunt. Siebelis in notis plerumque laudat Codicem Vindobonensem, raro codices Vindobb.; ex utro lectio quaedam hausta sit nunquam docemur; e Messeniacis nulla lectionis varietas enotata est; causam non video. Accedit quod descriptiones Catalogi Nessel. et in his Mstis Kollarii etiam Supplementa tam parum sunt accurata, ut verum inde iudicium

ποιοῦσι ἀκοῦσι λόγον in Commentario laudat Siebelis, quod non omnino accuratum est. Cod. Hist. Gr. LI. sic habet:

constituere vix liceat. Possidet Bibliotheca Caesarea Vind. Pausaniae codices duos. Alter Histor. Graec. LI. ol. 18 est chartaceus, folii minoris; constat foliis 421, quum pura aliquot post ff. 97. 204. 254 folia numeris careant. In fronte mutilus est et incipit his verbis: σι διὰ τὸ κῆδος ἀμύναντα τ. τριήρ. τ. βαρβ. ἀπολ. τ. πολλάς quae sunt in ed. Sieb. I, 19, 6. l. 3 a f. Non plane accurate igitur Kollar in Suppl. Cod. XCVI. p. 596 dicit, codicem incipere σφίσι διὰ τὸ κ. λ. Quod ad aetatem codicis attinet Kollar. l. d. p. 597 anno 1500 scriptum suspicatur e subscriptione in calce codicis αφ'ϥ. Sed primo loco Kollar ultimum in illo numero signum neglexit, quod δ esse videtur (certe haec literae forma saepius occurrit), unde prodiret annus 1504; deinde notandum est hanc inscriptionem alia manu et atramento multo pallidiore scriptam esse, quam ipse codex. Recentior igitur manus numerum adiecisse videtur, et quidem eadem quae in imo margine subscriptionem addidit, quam Kollar, quia initium fere evanuit, non recte legit. Non enim scriptum erat, ut Kollar dicit τέλος ἀττικῶν, κορινθιακῶν κ. λ., sed ut clare e vestigiis eruitur: παυσανίου ἕλλαδος περιηγησέως ἀττικῶν. κορινθιακῶν. λακωνικῶν. μεσσηνιακῶν. ἠλιακῶν α^ον. ἠλιακῶν β^ον. ἀχαικῶν. ἀρκαδικῶν. βοιωτικῶν: καὶ φωκικῶν λοκρῶν ὀζολῶν ~. Cod. Histor. Gr. XXIII. chartaceus eiusdem formae, foliis constat 236 Epigraphe coccino scripta haec est: παυσανίου ἑλλάδος περιηγησέως (non περιήγησις ut Kollar. et Nessel. legunt) :·: ἀττικά :·: In summo foliorum margine libri titulus repetitur v. g. Παυσανίου ἀττικά; liber ultimus semper nominatur Φωκικά λοκρῶν ὀζολῶν. In calce totius operis rubro colore: τέλος παυσανίου ἑλλάδος περιηγησέως: ἀττικῶν κ. λ.; λακωνικῶν atramento adscriptum. Kollar. p. 594 de hoc codice dicit: „Scholia coccino scripta, in marginibus textui adiecta et frequentissima sunt et omnino digna quorum olim ratio habeatur." Imo omnino indigna; festinanter haec scripsit vir doctissimus, facile enim, si vel obiter inspexisset haec scilicet scholia, vidisset has notas marginales scholia plane non esse, sed argumenta tantum commoditatis causa adiecta; e quibus quid utilitatis redundare possit, equidem non video. Magis etiam Nibby labitur, ubi de his codicibus loquitur (prefaz. p. XV): uno segnato IXCVI. in carta del secolo XVI. con buone note marginali; e l'altro

τὸ ὄνομα τῇ πόλει· φασίν δὲ προςποιοῦσιν, ακουσι λόγον (sic utique) μυκηναῖα (sic) υἱὸν εἶναι σπ.· σπ. δ. φ., οὐκ ἂν ἔγ. ἀποδειξαίμην, δ. μ. αὐτοι λακ.. Codex Hist. Gr. XXIII. sic: τὸ ὄνομα τῇ πόλει· φάσιν (sic) δὲ προςποιοῦσι ἀκουσιλόγον (sic) μυκηνέα υἱὸν εἶναι Σπάρτωνος σ,: Σπάρτωνα δὲ Φορωνέως παῖδα θαυμάζοιεν ἂν καὶ ἀρχὴν ἀκούσαντες. In margine: σ: λείπει· σπάρτωνα δὲ Φορωνέως, οὐκ ἂν ἔγωγε ἀποδεξαίμην, διότι μηδὲ αὐτοὶ οἱ λακεδ.. λακ. γ. σπ. μ. γ. εἰκ. ἑ. ἑ. ἀμύκλαις. Utriusque codicis lectione Porsonii coniectura comprobatur *). Siebelisio mi-

IXCVII. scritto l'anno 1500, mutilo in principio, pare una copia del precedente. Quanta errorum seges! 1) Hi codices in Catalogo non signantur his numeris IXCVI et IXCVII, qui omnino nulli sunt; a Kollario tantum in Suppl. descripti sunt sub numer. XCV et XCVI. In Catalogo sunt LI et XXIII. 2) Codicem LI Kollar. anno 1500 scriptum, non affirmat, sed existimat tantum. 3) Si autem vere anno 1500 scriptus esset, quomodo tandem Nibby dicere potuit, eum descriptum videri ex altero, quem saeculo XVI scriptum affirmaverat h. e. antiquiorem descriptum esse e recentiore! 4) Nibby Kollarium in malam partem accepit; Kollar suspicatur (non probabili opinor usus fundamento) „utrumque codicem ex eodem veteri exemplo esse descriptum", quod valde differt ab eo, quod Nibby dicit „alterum ex altero descriptum videri." Ut mihi constet num uterque codex ex eodem fonte fluxerit, multis locis eos inter se contuli et inveni saepissime et in rebus maioribus alterum ab altero recedere, ita ut nullo modo ex eodem fonte derivari possint, quod nisi locus deesset exemplorum grege comprobarem. Ceterum lectionis varietas e bonis his codicibus negligenter admodum excerpta est, neque solum omissa multa, sed non pauca etiam falso enotata. Sic v. g. I, 21, 8 Cod. Vindob. ap. Siebel. οἰσύνας habere dicitur; sed uterque οἰσίνας legit. II, 6, 2 Cod. uterque Ἀμφιπολέμου habere dicitur, at Cod. LI legit Ἀμφιπτολέμου. Accuratior collatio optanda est.

*) Eiusmodi contractiones, ut Ἀκουσιλάου λόγον in Ἀκουσιλόγον, in libris scriptis non raro obviae sunt; exemplum non dissimile apponere liceat. Schol. Pind. Ol. I, 97 in ed. Boeckh. habet: τὸν γὰρ Τάνταλον φυσιολόγον γενόμενον καὶ μύδρον

nus arridet; »Acusilai, inquit, hanc narrationem fuisse, id vellem Porsonus docuisset.« Quod profecto non minus foret difficile, quam docere, eam Acusilai non fuisse. Mihi Acusilai nomen hoc loco dubium non est; praetulerim tamen ὃν δὲ προσποιοῦσιν Ἀκουσιλάου λόγον; non enim loquitur de interpolatis et falso Acusilao adscriptis libris (ea enim de re Pausanias vocem ἐσποιεῖν et ἐμποιεῖν adhibere solet; v. g. II, 26, 6. pag. 171. — Ἡσίοδον ἢ τῶν τινα ἐμπεποιηκότων ἐς τὰ Ἡσιόδου; IX, 27, 2. pag. 762 Ἡσίοδον ἢ τὸν Ἡσιόδῳ Θεογονίαν ἐσποιήσαντα οἶδα γράψαντα. X, 38, 6. p. 897 f. τὰ ἔπη τὰ Ναυπάκτια ὀνομαζόμενα ὑπὸ Ἑλλήνων ἀνδρὶ ἐσποιοῦσιν οἱ πολλοὶ Μιλησίῳ.), sed credere se ea negat Pausanias quae Argivi ex Acusilai libris addant, Mycenas denominatas esse a Myceneo Spartonis filio idque ea de causa, quod Spartani Spartonem Phoronei filium ignorent. Missam faciamus hanc Periegetae argumentationem, et recipiamus in quaestione nostra Spartonem, exemplum secuti Viri clarissimi Fr. Creuzer (Symb. u. Myth. I, p. 789) laude mea maioris, quamvis et ipse non omnino alienus sum ab opinione, multos heroës inventos esse, ut urbis alicuius origo illustraretur. Spartonis genus aliter alii describunt. Uno prospectu varias tabulas proponam.

1) Pausanias ex Acusilao.

Phoroneus
|
Sparton
|
Myceneus

2) Schol. Eurip. Or. 1239.

Inachus
Phoroneus — Phegeus
Phegeus: Sparton — Messon
Sparton
|
Myceneus.

3) Eustathius et Stephan. Byz.

..
Phoroneus — Sparton
Sparton
|
Myceneus.

ἀποφήναντα κ. λ. **Codex Vindob. Hist. Graec. CXXX, (qui praeter alia quaedam scripta, Pindarum continet scholiis instructum, ob scripturam minutam et scribendi compendia lectu difficilibus, at iisdem egregiis magnaque ex parte nondum impressis) sic exhibet:** τὸν γὰρ Τάνταλον φυσιολογούμενον καὶ μύδρον ἀποφ.

Eustathius ad Homer. Il. II, 569. p. 289 f. Mycenas, e quorundam opinione, nominatas tradit ἀπὸ Μυκηνέως, υἱοῦ Σπάρτωνος, ἀδελφοῦ Φορωνέως, et iisdem verbis Stephan. Byz. s. v. Mycenae: ἀπὸ Μυκηνέως τοῦ (υἱοῦ?) Σπάρτωνος τοῦ Φορωνέως ἀδελφοῦ; uterque locus obscurus videtur, quum non pateat num ἀδελφοῦ referendum sit ad Myceneum an ad Spartonem; ad Spartonem potius putaverim, quoniam plerique omnes Phoroneum ab Inacho patre derivant, et neminem inveni qui Spartonis eum filium perhibuerit. Si autem Phoronei ἀδελφός vocatur Sparton, in eo fortasse non recedit ab Euripidis Scholiasta; non uno enim loco ἀδελφὸς pro ἀδελφιδοῦς et pro ἀνεψιός adhiberi multi iam monuerunt, et plura infra exempla videbimus. Ceterum si Porsoni apud Pausaniam emendatio nominisque Acusilai restitutio vera est, hanc stemmatis nostri partem a scriptore illo Argivo desumtam non esse manifestum est.

Pergamus in stemmatis nostri commentario. Phoronei et Pithonis filii (ad Or. 1239) Aegialeus, Apis, Europas et mox Niobe filia, recensentur; ad Or. 920 haec nomina corrupta sunt: Αἰγιαλεὺς, Ἀπία· ἀπὸ δὲ Εὐρώπης Νιόβη, Νιόβης δὲ Ἄργος; haud dubie corrigendum Αἰγιαλεὺς, Ἆπις, Εὐρώπας, Νιόβη· Νιόβης δὲ Ἄργος. Vulgata sensu caret. Aliud vitium latet in scholio ad Or. 1239, ubi narratur post Phoronei mortem τῶν παίδων τῶν Νιόβης διασκεδασθέντων, Argum, Niobae filium, imperio potitum esse. Quod quidem ratione caret; primo enim Niobae unus tantum filius, hic ipse Argus adscribitur; deinde, si plures fuissent, qualis is tandem dicendi modus: dispersis Niobae filiis, Argus, Niobae filius, imperio successit? Certe vitium subest; mirum enim videri debuit, quare tribus Phoronei filiis superstitibus, post patris mortem nullus eorum in imperio successerit, sed ad nepotem e filia transierit regnum; legendum itaque est, nisi profundius cubat vitium, τῶν παίδων Φορωνέως διασκεδασθέντων. Ceterum Scholiastes in hac nota plures auctores secutus videtur, nescio quos; quae enim ab initio statim dicit: Ἴναχος αὐτόχθων πρῶτος βασιλεὺς

"Αργους, δεύτερος Πελασγὸς, τρίτος Δαναὸς ὁ Βήλου; et in fine, Pelasgos Argivos vocari a Pelasgo, qui primus post Inachum regnaverit, omnino sunt inepta, et nullo modo cum stemmate proposito conveniunt. Quomodo autem Pelasgus Argolidis rex secundus, Danaus tertius appellari possit, alii videant, qui acutioris sunt ingenii.

De Ecbaso, Argi filio, supra iam dixi; ad hunc Pelasgi stemma adscendit, eius qui primus in Arcadia regnasse traditur a Charace (ap. Steph. Byz. s. v. Parrhasia). Ecbasi nomen a Schol. Eur. Or. 1642 Jasi forma efferri item iam monui; addere hoc loco lubet, alio etiam in nomine, miro lusu, syllabas Ἰασ et Ἐκβασ. confundi. Schol. ad Apollon. Rhod. I, 966 ad verba: ἔνθ' οἵ γ' Ἐκβασίῳ βωμὸν θέσαν Ἀπόλλωνι, ex Diiocho haec notat: Διΐοχος οὐκ Ἐκβασίου ἀλλὰ Ἰασωνίου Ἀπόλλωνος φησὶ τὸ ἱερὸν καλεῖσθαι. — Criasi uxor aliunde mihi non nota; occurrit quidem Melantho, Deucalionis filia a Tzetze ad Lycophr. 208 p. 29 a., quae tamen diversa videtur a nostra. Phorbantis uxor Euboea eadem fortasse est, quae a Pausania (II, 17, 2. p. 147) Asterionis, fluvii Argivi, filia, inter Junonis nutrices commemoratur et monti qui Heraeo ad Mycenas imminet, nomen indidisse traditur. Triopae filiis tribus aliunde notis, quartum addit Scholiastes Xanthum. Idem est qui a Diodoro Sicul. V, 81 coloniam in Lyciam deduxisse ibique Xanthum condidisse traditur. De Jasi progenie non habeo quod addam.

Jam in fine huius capitis de Dionysii Halicarnassensis stemmate quatenus ad Argolica pertinet, quaedam dicenda sunt; de reliquis, quum ad res Arcadicas pertineant, alio loco acturus sum. In Antiq. Rom. I, 11. p. 30 Phoronei filiam Nioben, huius et Jovis filium, ὡς λέγεται, Pelasgum habet. Capite 18 de colonia Graeca loquitur Lesbum deducta ductu Μάκαρος τοῦ Κριασίου. Criasium hunc ad Criasum nostrum esse referendum dubito, quum Macar ab Argolide et Inachidis alienus videatur. Homerus (Il. XXIV, 544) habet Λέσβος, Μάκαρος ἕδος, et in hymno in Apoll.

37: Λέσβος τ' ἠγαθέη, Μάκαρος ἕδος Αἰολίωνος. Aeolida etiam Pausaniae audit X, 38, 2. p. 896. Propius ad Dionysii vestigia Diod. Sic. V, 81 ἦν δὲ ὁ Μακαρεὺς υἱὸς μὲν Κρινάκου (alii Codd. Κρινάου) τοῦ Διός ex Hesiodi aliorumque poëtarum auctoritate, ex Oleno urbe oriundus. Plura de eo in Aeolidarum stemmate.

....

PARTIS PRIMAE

CAPUT SECUNDUM.

BELI PROSAPIA USQUE AD ACRISIUM ET PERSIDAS.

Hoc caput neque tot neque tantis impeditum est difficultatibus quam linea Beli adscendens. Quamvis etiam in hac operis parte auctorum consensus plerisque in locis desideratur (quaenam autem totius antiquitatis pars controversia omnino caret?), diversitas tamen in nominibus plerumque et singulis personis versatur, raro stemmatis integras lineas turbat; quare apposita una Apollodori tabula, in commentario ubi alii alia tradunt, addere, sufficere videtur. Beli stirpem describit Apollodorus II, 1, 4, 4. p. 117 sqq.

Belus ∪ Anchinoë, Nili filia

Aegyptus — Cepheus — Phineus — Danaus

Aegyptus: 49 filii

Danaus: 49 filiae

Lynceus ∪ Hypermnestra

Abas ∪ Ocalea, Mantinei filia

Abas: Acrisius — (Lyrcus sp.) — Proetus

Lacedaemon: Eurydice

Eurydice ∪ Acrisius

Proetus ∪ Stheneboea: Megapenthes — Lysippe — Iphianassa.

Danaë ∪ Jupiter s. Proetus.

Perseus ∪ Andromeda, Cephei filia

Perses — Alcaeus — Sthenelus — Helius — Mestor — Electryo — Gorgophone.

De Anchinoe, Beli uxore, et de Aegypti Danaique uxoribus praeter ea, quae ipse Apollodorus narrat, videndae sunt

Heynii notae criticae. Beli filii, praeter Aegyptum et Danaum, ab Euripide commemorantur Cepheus et Phineus, in Andromeda fortasse. De variis Phineis et Cepheis v. Heyne Obss. ad Apollod. l. d. p. 104 et Sturz. ad Hellanici fr. LXIV et LXXXIII. p. 97 et 116. Addidisse hoc loco sufficiat, si temporum ratio habeatur, Cepheum, Beli filium et Persei socerum eundem esse non potuisse, quamvis alter cum altero non raro confundatur, v. g. ab Herodoto VII, 61. Apollod. II, 4, 3, 6. p. 142. Tzetz. ad Lycophr. 836. p. 93 b. Nomina liberorum Danai et Aegypti otiosa curiositate et inepto studio collegit Apollodorus; singula apponere et ubi alii alia habent, inter se conferre operae pretium non videtur; dixit Heynius dicenda; quare in singulis non haerebo, exceptis quibusdam, ubi proles commemoratur. Praecipue hoc loco spectandae sunt, praeter Hypermnestram, Amymone et Philodamia. Amymonae stirpem sic describit Apollodorus II, 1, 5, 13. 14. p. 125 sqq.

Danaus υ Europa
|
Amymone υ Neptunus
|
Nauplius υ Clymene, Catrei filia
Palamedes Oeax Nausimedon.

Nauplios plures a veteribus confundi aliis observatum iam est; de singulis hic exponere ineptum non videtur; ab Apollodori narratione initium faciamus. Ex Amymone et Neptuno procreatus est Nauplius; uxorem hic duxit, secundum Tragicos, Clymenam, Catrei filiam; secundum Nostorum auctorem, Philyram; e Cercopis sententia Hesionen; filios sustulit tres Palamedem, Oeacem, Nausimedontem. Aliis locis (II, 7, 4, 3. p. 215. III, 9, 1, 4. p. 305) idem de Nauplio Herculis aequali loquitur; et quae nostro loco (II, 1, 5, 13. 14. p. 125 sq.) narrat in tempora post bellum Troianum incidunt. Cui quidem narrationi confusionem subesse nemo non videt et Apollodorus ipse animadvertere debuisset, Danai nepotem nullo modo Palamedis patrem esse potuisse. Huic Naupliorum variorum confusioni de uxoribus etiam dis-

sensio adscribenda erit. Clymene, Catrei filia, Nauplio Amymonae filio, nubere non potuit; haec ad Nauplium, Palamedis patrem, pertinet. Ex hac cum Catreo affinitate Pausaniae locus I, 22, 6. p. 52 lucem accipiet, ubi Naupli filii Aegistho opem tulisse dicuntur; ob cognationem scilicet nam Aërope, Clymenae soror, Atreo nupsit. Palamedis pater ab Apollodoro μακρόβιος appellatur; quod si verum est et nisi hoc epitheton ab auctore additum est, quia ipsi mirum quodammodo visum est Danai nepotem usque ad tempora belli Troiani vitam extendisse (et sane μακροβιότατος is dicendus esset; nam tria quasi saecula in vivis fuisset.) si, inquam re vera longaevus fuit Nauplius, Palamedis pater, facile is idem esse potest qui in Argonautis recensetur et qui Herculi aequalis fuit. Quomodo vero Sturz. V. D. ex hoc Apollodori loco eruere potuerit (ad Pherec. frr. p. 75), Nauplium in summa senectute uxorem duxisse, equidem non video. Apollodorus post longam vitam periisse eum refert; ante mortem vero uxorem duxisse et ex ea tres filios suscepisse. Si hoc loco Sturzius verba πρὶν δὲ τελευτῆσαι urgenda putat, me non habet assentientem. De connubio narrat, postquam obitum iam commemoraverat, et ne lectores post mortem eum duxisse uxorem arbitrentur, addit scriptor non nimis facetus πρὶν δὲ τελευτῆσαι. Eum vero non brevi ante obitum tempore matrimonium iniisse, inde perspicitur, quod Palamedi filio superstes usque ad Graecorum e bello Troiano reditum in vivis fuit.

Sed accuratius nunc inspiciamus totum hunc Apollodori locum; teneas qualis in Heynii editione legitur: Ἀμυμώνη δὲ ἐκ Ποσειδῶνος ἐγέννησε Ναύπλιον. οὗτος μακρόβιος γενόμενος, πλέων τὴν θάλασσαν, τοῖς ἐμπίπτουσιν ἐπὶ θανάτῳ ἐδυσφόρει. συνέβη οὖν καὶ αὐτὸν τελευτῆσαι ἐκείνῳ τῷ θανάτῳ, ᾧπερ ἄλλων τελευτησάντων ἐδυσφόρει. Locum sanum non esse nemo non videt; Heynio etiam explicationem, quam in observationibus profert, ipsi non satisfecisse, mihi persuadeo. Kuhnius ad Pausan. II, 25, 4. emendationem proponit quam merito ingeniosam dixeris, cuius tamen

difficultates copiose satis explicat Heynius in notis criticis; legere illi visum fuerat ἐπυρσοφόρει pro ἐδυσφόρει. Sed vitium latius quaerendum esse puto. Quomodo enim tandem verba οὗτος μακρόβιος γενόμενος, πλέων τὴν θάλασσαν cum sequentibus cohaerent, sive ἐδυσφόρει legas sive ἐπυρσοφόρει? Quid porro οὖν sibi vult in verbis συνέβη οὖν? Nonne id ipsum probat in antecedentibus de Nauplii mortis genere sermonem fuisse? Nam si quis dicit: sic igitur factum est, ut eodem modo interiret, quo rel., nonne iusto titulo concludere inde possumus, antea iam de eius morte narratum esse? Desideratur igitur de Nauplii morte narratio; quum de Palamedis patre sermo sit eiusque de filii caede a Graecis repetita ultione, quam multi narrant, v. g. Tzetzes ad Lycoph. 385. p. 46 sq., equidem locum hoc modo restituendum censeo: οὗτος μακρόβιος γενόμενος, πλέων τὴν θάλασσαν *** τοῖς ἐμπίπτουσιν, ἐπὶ θανάτῳ ἐφρυκτώρει· συνέβη οὖν καὶ αὐτὸν τελευτῆσαι ἐκείνῳ τῷ θανάτῳ, ᾧπερ (s. ἐφ' ᾧπερ) ἄλλων πλευσάντων ἐφρυκτώρει. In lacuna narratum fuisse necesse est, Nauplium, quum in summa senectute navigaret, falsis signis deceptum eoque scopulis illisum periisse, quum antea ipse Graecos Troia redeuntes falsis signis decepisset, ut naufragiis perirent. Tzetzes de hac Nauplii perfidia narrans, locutione utitur ἧψε φρυκτόν, et verbum φρυκτωρέω satis notum est. Tota narratio e poëta quodam desumta videtur. Alia coniectura πλευσάντων pro τελευτησάντων se ipsa defendat; si ἐφρυκτώρει admittimus, fere est necessaria. Ἐπὶ θανάτῳ referendum est non ad praecedentia, sed iungendum cum ἐφρυκτώρει subsequente, quod in causis est, quare in fine ἐφ' ᾧπερ scribere malim. Sed affatim de hoc loco. Oeax et Nausimedon occisi dicuntur a Pylade, sed nominibus omissis, Pausan. I, 22, 6. p. 52. Ceterum Apollodorus (III, 2, 2, 2. p. 249) Oeacem tantum et Palamedem Nauplii filios recenset. Clymene, Catrei filia, Nauplii uxor, Palamedis mater, a Tzetze etiam commemoratur l. d..

Aliam Amymonae lineam describit Pherecydes apud Schol.

Apollon. Rhod. IV, 1091. (Pherecyd. frr. coll. Sturz. p. 72 sqq.). Eius stemma hoc est:

Amymone υ Neptunus

Nauplius

Damastor — (Peri) Castor.

Peristhenes υ Androthoë

Polydectes — Dictys.

De hac genealogia Sturzius (l. l.) dicit: »Dictys iste qui Magnetis filius, Aeoli nepos vocatur ab Apollodoro I, 9, 6 et una cum fratre Polydecte colonos duxisse dicitur in Seriphum, unam e Cycladibus insulam (v. Strab. X, p. 487) videtur a solo Pherecyde Castoris e filia nepos vocari. Omninoque in horum hominum genealogia magna differentia cernitur. Sic Apollodorus II, 1, 4 extr. dicit, Nauplium e Neptuno et Amymone natum in summa senectute uxorem duxisse — Clymenen Catrei filiam —. Idem Apollodorus tres eius filios commemorat, in quorum tamen numero non est Damastor. Scilicet potuit etiam iunior aliam quandam uxorem duxisse, e qua genuerit Damastorem; nisi dicere velimus, discrepantiam fortassis ortam esse e confusione huius antiquioris Nauplii cum Nauplio recentiori, qui fuit ex illius posteris et in Argonautis recensetur ab Apollonio I, 134.« Haec ille. Miror sane, quomodo Vir doctissimus dubitare tantum potuerit de confusione duorum Naupliorum. Apollodorus loquitur de Palamedis patre; Pherecydes de Danai nepote; quomodo igitur Apollodorus Damastorem inter filios Nauplii sui recensere potuit, quum Damastor is Polydectis et Dictyis avus perhibeatur, qui quidem ipsi Perseo aequales multo antiquiores fuere Nauplio Palamedis patre. Quod ad Androthoae patrem attinet, de nominis forma non omnino liquet; in Scholiis quidem Apollonii impressis Castor nuncupatur; Codex Parisinus Pericastorem appellat. Mihi neque de nominis forma neque de homine constat. De Dictye et Polydecte aptiore loco dicetur in Aeolidarum gente.

Alia iterum Amymonae progenies est apud Apollonium Rhod. I, 133:

Danaus
|
Amymone ∪ Neptunus
|
Nauplius
|
Proetus
|
Lernus
|
Naubolus
|
Clytoneus
|
Nauplius, Argonauta.

Hi Palamedis sunt maiores; de singulis non habeo quod addam. Nauplius quum expeditioni in Colchidem interesset, haud dubie admodum fuit iuvenis; Hercules vero aetate iam provectior. Si licet coniungere Pherecydis et Apollonii stemmata, cum Apollodori linea Hypermnestrae descendente et Nauplii II. filiis, quam bene inter se conveniant observabimus. Tabulam hoc modo compositam apponam:

1) Danaus
- 2) Hypermnestra
  - 3) Abas
  - 4) Acrisius
  - 5) Danaë
  - 6) Perseus
  - 7) Electryo
  - 8) Alcmene
  - 9) Hercules.
- 2) Amymone
  - 3) Nauplius
    - 4) Damastor
      - 5) Peristhenes
        - 6) Dictys
        - Polydectes
    - 4) Proetus
      - 5) Lernus
      - 6) Naubolus
      - 7) Clytoneus
      - 8) Nauplius II. ∪ Clymene Catrei filia.
        - 9) Palamedes
        - Oeax
        - Nausimedon.

Numeri adiecti generationis gradus indicant. Videmus hac tabula: 1) Polydectes et Dictys Perseo facile aequales fuerunt; a Danao enim descendunt gradu sexto. 2) Recte Phe-

recydes, vel Scholiastes ad Apollon. Rh. IV, 1091 Perseum et Dictyn cognatos (συγγενεῖς) appellat, uterque enim sexto gradu ab eodem Danao descendit; et necesse non est, ut explicandae huius cognationis causa ad Libyam usque et Neptunum adscendamus, quod Sturzius facit (ad Pherecyd. p. 76). 3) Nauplius II. octavo gradu derivatur a Danao; Hercules, aequalis eius, nono; Nauplium tamen Hercule iuniorem fuisse facile credemus, si in linea Herculis adscendente feminas tres, in Nauplii unam tantum occurrere animadvertimus. Nauplium primum, Amymonae et Neptuni filium, Naupliae in Argolide conditorem perhibet Pausanias II, 38, 2. p. 200 f., et quidem ea colonia, cuius incolae Aegyptii videntur Pausaniae, a Nauplio deducta est tertia post Danai adventum generatione (ὕϛερον γενεαῖς τρισίν). Pausan. IV, 35, 2. p. 367. Computatio bene procedit; si enim de generationibus loquitur Pausanias, a Danao usque ad Nauplium sunt tres; si de hominum aetatibus, nihil video quod impediat.

Alia Danai filia, cuius progeniem Pausanias IV, 30, 2. p. 353 partim e Messeniorum traditione, partim ex Homero recenset, est Philodamia, quam omisit Apollodorus, nisi eius nomen latet in Ἱπποδάμεια, quod bis occurrit. Composuit Pausanias hoc stemma:

Danaus
|
Philodamia ∪ Hermes
|
Pharis
|
Telegone ∪ Alpheus
|
Ortilochus
|
Diocles

Crethon — **Ortilochus** — **Anticlea ∪ Machaon.**

Anterior huius stemmatis pars usque ad Telegonen Messeniorum nititur traditione; item Anticlea; pars posterior ab Alpheo usque ad Ortilochum II. ex Homero (Od. III, 488 sqq. XV, 186 sqq. et Il. V, 541 sqq.) desumta est. In Iliade Cre-

thonem et Orsilochum (sic enim appellat) gemellos fuisse fratres et ab Aenea occisos narrat. Messenii Phari prolem masculam non fuisse tradunt, sed Telegonen tantum filiam, quae ex Alpheo concepit (si verum est) Ortilochum. Telegonae enim ex Homero statim subnectunt Ortilochum I., quomodo cum temporum ratione haec concinant parum curiosi. Secundum hoc stemma enim a Danao per Philodamiam usque ad Crethonem et Ortilochum II., bellique Troiani tempora septem sunt generationes; per Hypermnestram vero usque ad Tlepolemum, belli Troiani socium, decem. Jam quidem non negaverim, rem per se fieri potuisse (quamvis trium generationum differentia in spatio haud nimis longo suspicioni locum dare iam possit), tamen res mihi suspecta videtur, et nomina quaedam inter Telegonen et Ortilochum excidisse, vel Messenios (quod felix faustumque sit) Ortilochum Telegonae subnexisse putaverim, ut ab Inachidis regiam stirpem derivarent. Ceterum stemmatis conditio talis est, ut de vera familiae origine (vide quantas turbas in gentibus fecerint Dii immortales, qui omnino praecipuo quodam amore Danai filias amplexi videntur, parum de maritorum miseranda caede curiosi) iudieare non possimus, quum neque videamus, quomodo Philodamia in Messeniam venerit (maritus enim mortalis non nominatur Pharisque e Mercurio conceptus dicitur), neque quum Pharis sine prole mascula obiret, quo patre natus sit Ortilochus, siquidem Telegone mater fuit. Pharae, Messeniae urbs, a Phari condita dicitur; num Phararum etiam in Achaia conditor idem fuerit, dubitat Pausanias VII, 22, 3. p. 580. In nomine quaedam est varietas, quae auctori librariisve sit adscribenda in medio relinquo. Nostro loco Phares est; IV, 30, 2 Pharis. Ortilochi, primi haud dubie, Dorodoche filia commemoratur a Schol. Homer. XXI, 16, quam Icario nupsisse et ex eo Penelopen genuisse sunt qui dicant. Tempora egregie conveniunt et quamvis in Homeri carminibus nulla huius affinitatis inter Telemachum et Pherarum reges inveniatur mentio, hospitium tamen, paternum haud dubie, inter ipsos fuisse,

e pluribus locis videmus, Od. III, 487. XV, 186. XXI, 15 sqq. Caeterum haec familia sensu proprio regia fuisse non videtur; quamvis enim Homer. Il. V, 546 de Orsilocho I. dicat: ὅς (Alpheus) τέκετ' Ὀρσίλοχον πολέεσσ' ἄνδρεσσιν ἄνακτα, tamen vocem urgendam non existimo; primo enim in Catalogo neque Orsilochi Crethonisque neque Pherarum mentio est, quod fieri debuisset, si gemelli illi tanquam sui iuris reges ad Troiam copias duxissent; deinde hae ipsae Pherae, ubi Dioclis filii regnasse putandi sunt, ab Homero Il. IX, 151. 293 inter eas urbes recensentur, quas Agamemnon Achilli, tanquam filiae dotem offert, unde Agamemnoni eas paruisse manifestum est. Jam tum inter Graecos vestigia eius institutionis occurrere videntur, quam nos nexum feodalem nominare solemus. De urbibus his parte secunda operis quaedam dicentur.

De Automate et Scaea, Danai filiabus, quae Archandro et Architeli nupserunt, dictum iam est. Anaxithea ab Eustathio commemorata frustra apud Apollodorum quaeritur. Ab Homeri Enarratore (ad Il. XI, 756. p. 883, l. 2) Oleni mater perhibetur, (a quo Olenum urbem conditam tradunt), sed sine patris nomine; alio vero loco (ad Il. II, 616. p. 304 l. 19) eundem Eustathius nominat Jovis filium; fuit igitur Olenus Jovis et Anaxitheae filius. Fuit fortasse e maioribus Dexameni, Oleni regis, de quo Pausanias pluribus locis, v. g. VII, 18, 1. p. 567 Herculi cum ipso hospitium fuit; fortasse ob cognationem; ceterum etiam Oleni stirpem iis familiis adnumerandam censeo, quae regiae quidem, sed non sui iuris fuere. De Dexameno plura alio loco.

Sed tempus est ut redeamus ad Hypermnestrae et Lyncei posteros. Abas, Lyncei filius, Ocaleam duxit, Mantinei filiam. De nominis forma Heynius dixit et bene, opinor, e Schol. Eurip. Or. 965 Ἀγλαΐας restituendum iudicavit, praesertim quum Codicum lectio ad hoc nomen alludat. Ocalea enim urbs Boeotiae (Hom. Il. II, 501) huc pertinere non videtur. Mantineus, pater eius, inter Lycaonis filios recensetur. Apollodoro II, 2, 1. p. 127 Mantineus vocatur; III, 8,

1, 3. p. 302 Mantinus; Pausan. VIII, 3, 1. p. 603 Mantineus; Eustath. ad Hom. Il. II, 607. p. 302 Mantinus. Abantis filii gemelli Acrisius et Proetus et spurius Lyrcus, a quo Lyrcea, Argolidis vicus nomen accepisse traditur; Pausan. II, 25, 4. p. 168. Proetus eiusque stirps argumentum capitis quarti erunt; nunc videamus Acrisii posteros usque ad Persei filios; de Lyrco nihil amplius reperi.

Acrisius, Abantis filius, Eurydicen duxit, Lacedaemonis filiam; Pherecyd. ap. Schol. Apollon. Rhod. IV, 1091. Pausan. III, 13, 6. p. 239. Apollod. II, 2, 2, 1. p. 128. III, 10, 3, 2. p. 312 sq. A Tzetze ad Lycophr. 838. p. 93 a. non Lacedaemonis sed Εὐρωτέως filia nominatur. Heynius τῆς Εὐρώτα rescribendum putat; equidem excidisse nomen et ex Apollodoro, quem sequi Tzetzes solet, restituendum censuerim τῆς Εὐρυδίκης [τῆς Λακεδαίμονος καὶ Σπάρτης] τῆς Εὐρώτα. Est hoc connubium secundum quod inter familias regias Argivam et Laconicam memoratur; primum inter Polycaonem Lelegis filium et Messenen Triopae filiam, et nunc inter Acrisium et Eurydicen. Videant chronographi quomodo salvis stemmatibus genealogicis chronologiam constituant. Acrisii filia Danaë; huius et Jovis, vel secundum alios (ap. Apollod.) Proeti, filius Perseus, qui omnes chartas implet; conferendi de eo Heyne ad Apollod. II, 4 et auctores ab eo laudati. Fabula de Proeto Persei patre recentior videtur; Herodoto certe incognita fuit, ut videmus ex eius verbis (VI, 53): οὐκ ἔπεςι ἐπωνυμίη Περσέϊ οὐδεμίη πατρὸς θνητοῦ, ὥςπερ Ἡρακλέϊ Ἀμφιτρύων. Eundem locum exscripsit Eustathius ad Hom. Il. XIV, 320. p. 989, 20, sed ineptam addit observationem, Herodoti consilium fuisse, ut Perseum Hercule σεμνότερον ea re demonstraret, quod Halicarnassensi in mentem non venit: nihil aliud enim dicere voluit, quam Doriensium reges usque ad Perseum in linea adscendente recte Graecos vocari; si autem a Danaë, Acrisii filia per patres adscendendo repetere genus velimus, eos Aegyptios fuisse inventum iri; quum vero Danaae maritus mortalis non commemoretur, ut v. g. apud Herculem prae-


ter Jovem Amphitruo, ab hac parte eorum patres altius repeti non posse. Si Herodoto nota fuisset fabula de Danaë ex Proeto gravida, silentio certe non praetermisisset.

Persei uxor Andromeda, Cephei et Cassiepeae filia, e qua sex procreavit filios, filiamque unam. Persen, natu maximum pater apud Cepheum avum in Aethiopia reliquit, a quo Persarum reges orti dicuntur. Herod. VII, 61. 150. Apollod. II, 4, 5, 1. p. 146. Eiusmodi ingenii lusus vanitati Graecae nimis sunt frequentes, et nihil mihi hac in re mirum videtur, quam nostris etiam diebus haud raro tales nugas fidem reperire. Valeat nobis illustris ille Perses et augusta eius prosapia, quam merito a stemmate suo abesse iussit Schol. Townl. ad Homer. Il. XIX, 123; eundem et Helium omisit Herodorus ap. Schol. ad Apollon. Rh. I, 747, fortasse quia patria relicta in Taphiorum insulas abiit Helius. A Tzetza ad Lycophr. 838. p. 93 b. vitio Hellen vocatur. Persei filiorum natu minimus fuit, teste Pausania III, 20, 6. p. 261 f. et Heli in Laconia conditor, ut idem refert et cum ipso Strabo VIII, p. 363 (559), Schol. Townl. l. d., Eustath. ad H. Il. II, 584. p. 295, 20. Apollod. II, 4, 7, 3. p. 153. Helii soror Gorgophone Oebalo nupserat Laconiae regi, unde fit clarum quomodo Helius in Laconia urbem condere potuerit; non omnino tamen accuratus videtur Apollodorus, si l. d. Helium ἐξ Ἕλους τῆς Ἀργείας ab Amphitruone advocatum narrat; certe Helos alio sensu urbs (τῆς Ἀργείας) Argiva vocari nequit, quam quo v. g. Pausanias III, 2, 7. p. 209 narrat, Helum oppidum, Alcamene in Laconia regnante a Spartanis eversum esse, Ἀχαιῶν ἐχόντων. Incolae erant Achaei s. Argivi; neque tamen ideo oppidum Achaiae appellari potest, quod in Siebelisii indice factum video. De Persei filiorum uxoribus fere omnibus controversia est; sed hanc quaestionem et omnino Persidarum stemmata in aliud caput reservo.

PARTIS PRIMAE
CAPUT TERTIUM.

PERSEI PROSAPIA USQUE AD HERACLIDAS.

Apollodori tabula, qualis II, 4. 5. p. 146 sq. et II, 8, 1. 3. pag. 230 describitur, haec est:



Alcaei uxor igitur ex Apollodori sententia est Hipponome, Menoecei filia, fortasse Thebani, Creontis et Jocastae patris; tempus bene convenit, et rationes historicae suadent; Amphitruo ex Argolide abire iussus Thebas se contulit, et benigne receptus est a Creonte, matris nempe fratre. Sed alii aliam ipsi tribuunt uxorem. Pausanias VIII, 14, 2. p. 627 Lysidicen, Pelopis filium habet, et e verbis auctoris, hanc opinionem maxime receptam fuisse, prodire videtur; e Pheneatarum vero traditione (ib.) Alcaeus Laonomen duxit Gunei filiam Pheneatidem. Schol. Townl. ad Hom. l. l. Alcaei uxorem ab aliis Laonomen perhiberi docet, ab aliis Astydamiam, Pelopis filiam. Omnino in Pelopis filiabus magna est confusio cuius in hoc ipso stemmate plura videbimus exempla. Liberi ex hoc connubio ab Apollodoro recensentur duo, Amphitruo et Anaxo; Heynius ex alio Apollodori loco (II, 4, 6, 6. p. 151) filiam addit Perimeden; e scriptoris verbis recte id quidem; mihi tamen quotiescunque hunc locum inspexi, Perimede, Amphitruonis illa soror suspecta visa est; in stemmate ipso eam omitti, non urgeo; saepius enim in eam negligentiam incidisse Apollodorum observavi; at quum Amphitruo exul nonnisi Alcmenam et Licymnium Thebas secum duxisse narretur, quomodo Thebis Perimeden, sororem scilicet, Licymnio elocare potuit, de qua adducta nihil constat? Quam ob causam Thebis eam elocasset quod commodius Tirynthe vel Mycenis factum esset? Verba *καὶ δίδωσι* ad Creontem referenda puto, quae orationis inconcinnitas, in Thucydide et Herodoto minime toleranda, in Apollodoro non offendit. Tirynthem, Amphitruonis fratrem, Tirynthis conditorem habet Eustath. ad Hom. Il. II, 559. p. 286. Rem falsam censeo, de persona dubito. Eustathii verba sunt: *καλεῖται Τίρυνς ἀπὸ Τίρυνθος ἀδελφοῦ Ἀμφιτρύωνος.* Stephanus Byz. contra urbem appellatam autumat *ἀπὸ Τίρυνθος τῆς Ἄλω* (*Ἀναξοῦς?*) *θυγατρὸς, ἥτις Ἀμφιτρύωνος ἦν ἀδελφή.* Utrum e diversis fontibus haec hausta sint, an locus alter, an uterque corruptus sit, mihi non liquet; ceterum neque Tirynthem Amphitruo-

nis fratrem, neque Anaxus filiam alibi commemorari reminiscor; Alo autem Amphitruonis soror omnino est incognita. Duxit Amphitruo Alcmenen, Electryonis et Anaxus filiam; erant a patris parte consobrini; a sororis parte Amphitruo Alcmenae avunculus, et idem maritus; cuius affinitatis aliud exemplum, ni fallor, in historia Graeca vix occurrit.

Stheneli uxores hae commemorantur: Apollodorus habet Nicippen, Pelopis filiam; Schol. Townl. l. d. Menippen; Schol. Hom. Il. XIX, 119 Leucippen vel Antibiam; eodem ducit Schol. a Matthaei Dresdae editus, qui habet Antibiam vel Cippen; Pherecydes (secundum Didymum ap. Schol. ad Hom. Il. XIX, 116. — Sturz. p. 140) Amphibiam, Pelopis filiam; Hesiodus (ibid.) Artibiam Amphidamantis filiam. Nominum haec quidem est abundantia; fortasse plures habuit uxores Sthenelus, neque tamen, spero, tot quot hic recensentur. Homerus (l. d.) historiam de Sthenelo, et Herculis Eurystheique partu refert; nomen matris vero quae edidit Eurystheum omisit, eamque nominat tantum ἴφθίμην ἄλοχον Σθενέλου Περσηϊάδαο. Stheneli liberos Apollodorus habet tres, Alcinoën, Medusam, Eurystheum. Alcinoë non absque controversia est; ab aliis enim Alcyone vocatur; v. Wesseling. ad Diod. Sic. p. 258; quae quidem varietas fortasse librariis tantum adscribenda est. Medusam et Astymedusam (quae a Pherecyde ap. Schol. Eurip. Phoenn. 53 — Sturz. p. 187 Stheneli filia, Oedipi uxor appellatur) eandem esse, recte suspicatur Sturz. l. l. Iphis etiam, Eurysthei frater, inter Argonautas a quibusdam numeratur; (v. g. a Diodor. Sic. IV, 48. p. 291 et a Dionysio Milesio, a Wesselingio ad Diod. l. l. excitato.) nisi error latet; Aeschylus enim Tiphyn Iphyn appellaverat, secundum Schol. Paris. ad Apollon. Rh. I, 105. Eurysthei filii cum ipso patre ab Atheniensibus et Hyllo interfecti. Eurysthei uxorem commemorat Apollod. III, 9, 2, 2. p. 306 Antimachen, Amphidamantis Arcadis filiam; aliud iterum nomen offert Anaglyphum Farnesian., ubi etiam Admeta, Eurysthei filia occurrit: Ηρας Αργειας ιερεια Αδματα Ευρυσθεως και Αδματας τας Αμ-

φιδαμαντος ετη νη. cf. Heyne ad Apollod II, 5, 9, 2. p. 154 sq. — Admetam filiam laudat etiam Apollod. l. d. p. 180; et filium Eurypylum ab Apollodoro omissum, Anticlides in Nostis (ap. Athenaeum IV. p. 157).

Mestoris uxor secundum Apollodorum Lysidice fuit, Pelopis filia; huius filia Hippothoë; huius et Neptuni Taphius; huius Pterelaus; huius Chromius, Tyrannus, Antiochus, Chersidamas, Mestor, Eueres et Comaetho filia. Neptunus Hippothoën raptam in insulas Echinades abduxit ibique ex ea Taphium sustulit, a quo Teleboarum populo nomen inditum, ὅτι τηλοῦ τῆς πατρίδος ἔβη. *) Electryone Mycenis regnante (sic narrat Apollodorus), cum Taphio (ex Heynii lectione, cum Taphiis) rediere Pterelai filii Mestorisque regnum τῷ μητροπάτορι repetierunt. Quod quum recusaret Elec-

*) De Teleboarum nomine varia traduntur. Heynius ad Apollod. l. s. d. dicit: „exspectes τοὺς Τελεβόας Ταφίους ἐκάλεσεν a se.“ Quomodo autem exspectare hoc potuit, quum Apollodorus addat ὅτι τηλοῦ τῆς πατρίδος ἔβη? At quo iure Taphius, in ipsis Echinadibus natus, id de se praedicare potuerit non video; illum in Argolide natum non esse obliti videntur qui populorum historiam secundum regulas etymologicas construunt. Si porro Heynius dicit, ex opinione Apollodori (si locus sanus sit) Taphium deductos a se Mycenis colonos appellavisse Teleboas, nec hoc mihi satis probavit; Mycenarum enim nulla est mentio; et Echinadum incolas Achaeos fuisse vix probari poterit. Tzetz. ad Lycoph. 932 p. 104 Nostrum secutus, sed non solum, haec habet: Μήςωρος (l. Μήςορος. cf. Eustath. ad Hom. Il. XXIV, 257. p. 1348, 46) καὶ Λυσιδίκης τῆς Πέλοπος, θυγάτηρ Ἱπποθόη, ἧς καὶ Ποσειδῶνος Τάφιος, ὃς τῆλε βὰς τῆς πατρίδος, τοὺς ὑπ' αὐτοῦ ὄντας ἐν ταῖς Ἐχινάσι νήσοις Τηλεβόας καὶ Ταφίους ὠνόμασε. De nominis origine plura dabunt Eustath. ad Hom. Od. I, 105, p. 1396 et Schol. Apollon. Rh. I, 747. Teleboae Acarnaniam olim habitaverant, seriusque in Echinadibus consederunt, unde piraticam facientes Argolidem usque mare infestarunt, ut docet Schol. ad Apollon. Rhod. I, 747. Eosdem Cephallenes s. Cephalenios etiam appellari, a Cephalo Atheniensi, Amphitryonis in bello contra Teleboas socio, docet Eustath. ad Hom. Od. l. l.

tryo, boves abegerunt Taphii, postquam certamine singulari Electryonis et Pterelai filii invicem se occiderant, exceptis e Pterelai filiis Euere, ex Electryonis Licymnio, impubere; quo facto Taphii conscensis navibus armenta abduxerunt. Hoc modo res gestas tradit Apollodorus; eas hac ratione geri potuisse docuisset velim. Bene loci difficultates exposuit Heynius in notis criticis ad l. l., neque tamen rem omnino expedivisse videtur. Quae de loci (II, 4, 6, 1. p. 149) interpunctione dicit Vir doctissimus, dubio carent; minus placet, quod *μετὰ Ταφίου* mutavit in *μετὰ Ταφίων*; Tzetzes enim l. l., qui nostrum exscribit, *μετὰ Ταφίου* legit, ut videmus ex eius verbis *Τάφιος καὶ οἱ Πτερελάου παῖδες*. Avum cum nepotibus venisse ad regnum repetendum parum probabile fit Heynio; nec mihi; sed equidem non in eo haereo, quod avus cum nepotibus venisse dicitur (quid enim est in eo, quo offendamur?); sed in eo potius, quod Pterelai filii ab Electryone repetivisse dicuntur imperium; quae difficultas Heynii mutatione non tollitur; augetur potius si respicimus verba *τῷ μητροπάτορι*, quae quo referantur vix habent, nisi de Mestore intelligimus; hic autem Taphii, non Pterelai filiorum fuit *μητροπάτωρ*; quare nisi eiicimus *τῷ μητροπάτορι* servandum erit *μετὰ Ταφίου*. Heynius quidem *τ. μητρ.* e margine illatum putat, quia scilicet mutationi suae *μετὰ Ταφίων* incommodum est; addere potuisset, a Tzetza abesse. Sed quomodo quaeso eiusmodi glossema ortum dicemus? Taphius itaque imperium ab Electryone repetere potuit, cum Pterelai filiis non potuit; difficultas enim in eo cubat, quod Electryo et Pterelai filii aequales esse nequeunt; et quis tandem est, qui credere possit seni plus quam decrepito Electryoni, filium infantem fuisse, Licymnium? Apollodorus, opinor, plures hac narratione secutus est auctores, quorum narrationes, quo est ingenii acumine, commiscuit; ab uno adoptavit rerum gestarum narrationem, ab alio Mestoris stemma; neque vidit diversas has relationes inter se pugnare.

Plura de Mestoris prosapia prostant stemmata, e quibus

id quod Apollodorus probavit a vero maxime recedere, imo totam historiae fidem evertere videtur; si vero eam adoptamus genealogiam, quam e Schol. Townl. l. l. cognoscimus, rem planam et expeditam habebimus.

Mestor
|
Hippothoë ∪ Pterelaus
N. N. N.

Non igitur pertinet, ex hac genealogia, Pterelaus ad Mestoris lineam rectam; huius vero filiis, Scholiastae anonymis, recte Mestor *μητροπάτωρ* fuit; recte hi Electryoni aequales et Licymnius infans esse potuit quum Pterelai filii imperium repeterent. Homerus Od. XVII, 207 Neritum, Ithacum et Polyctorem commemorat, quos Eustathius ad h. l. p. 1815, 49 sq. Pterelai filios fuisse affirmat. Quod si licet eos subnectere Pterelao, a Schol. Townl. laudato, haec erit tabula:

Mestor Jupiter
| :
Hippothoë ∪ Pterelaus
Neritus Ithacus Polyctor.

De eodem Pterelao intelligendum esse, Acusilai docet comparatio ap. Schol. ad Homer. Od. XVII, 207, ubi haec narrantur: Ithacus et Neritus, Pterelai filii, a Jove oriundi, Cephaleniam primum tenuerunt; mox vero sedibus relictis in Ithacam abierunt; ab altero insula, ab altero mons nomen accepit. Polyctor natu maximus, et in Cephalenia mansisse videtur. Omnia egregie conveniunt, tempora, locus, homines, ita ut res indubitata fere putanda sit. Fortasse nexus est quidem inter hanc emigrationem Pterelai filiorum et bellum Amphitruonis contra Teleboas.

Aliam iterum genealogiam secutus videtur Anaximander in Heroologia ap. Athenaeum XI, p. 498 c, ubi auctor, postquam de celebratissimo illo poculo ab Amphitruone in praeda reliqua abacto locutus erat, ex Anaximandro addit: *τὸν δὲ σκύπφον Τηλεβόῃ δίδωσι Ποσειδῶν παιδὶ τῷ ἑαυτοῦ· Τηλεβόης Πτερέλεω*; ita igitur generationes disposuerat:

Neptunus
|
Teleboas
:
Pterelaus.

Teleboam igitur Pterelai patrem appellat, quum ab aliis filius nominetur. Heynius quid sibi velit, si de Teleboa pronuntiat: »Teleboes hic, qui Taphius Apollodoro est II, 4, 5, 4.« non video; si dicere voluit, Pterelai patrem ab Apollodoro Taphium, ab Anaximandro Teleboam appellari, verum est; sin autem Teleboam Anaximandri et Apollodori Taphium eundem esse, secus; certe probari deberet Taphium binominem fuisse, quod difficile foret, praesertim quum sequente stemmate appareat, Taphium et Teleboam accurate distingui.

Aliam denique tabulam exhibet Schol. Apollon. Rhod. I, 747, quae medium fere tenet inter primam et secundam:

Mestor
|
Hippothoë ∪ Neptunus
|
Pterelas
⏞
Teleboas Taphus.

Ἐλθόντες οὖν τοῦ Πτερέλου παῖδες ᾔτουν παρὰ τοῦ Ἠλεκτρύονος τὰ τῆς μάμμης αὐτῶν Ἱπποθόης χρήματα, tradit Scholiastes; non igitur imperium repetiverunt Pterelai (s. Pterelae) filii, sed avae hereditatem quam suo iure postulare poterant. Quam quum Electryo recusaret, ipsum cum filiis Teleboae interfecerunt, bovesque abegerunt; haec narratio magnam veri speciem habet, nisi quod in caeso ab Amphitruone Electryone Apollodoro assentior, ob Amphitruonis fugam. Monendum est denique contra omnem temporis rationem pugnare si Apollodorus refert Electryonis armenta a Telebois abacta ad Polyxenum, Elidis regem, ab Amphitruone redemta esse. Id quomodo fieri possit non patet, quum Augeas, Polyxeni avus et Hercules, Amphitruo-

nis filius, aequales sint. Polyxenus bello Troiano interfuit. Hom. Il. II, 623. *)

Electryonis uxor, secundum Apollodorum, Anaxo, Alcaei filia, e qua procreasse dicitur Alcmenam filiam et Stratobatem, Gorgophonum, Philonomum, Celaenum, Amphimachum, Lysinomum, Chiromachum, Anactorem, Archelaum filios et praeterea e Midea Phrygia Licymnium spurium. Plurima haec nomina (de quibus conferendus est Heynius) recentiorum videntur figmenta; quis primus ea invenerit ob fontium penuriam vix erui potest, nec operae pretium videtur; idem de Pterelai filiis dicendum est, ubi ipsum Tyranni nomen originem prodit recentem. Electryonis filii omnes praeter unum Licymnium infantem occisi sunt a Telebois. A Midea Mideae urbi nomen inditum esse, refert Schol. Pind. Ol. 7 (p. 62), quod mihi verum non videtur; condita enim est haec urbs iam a Perseo, et alio nomine ante usam esse, non inveni. — Aliis vero Electryonis uxor non Anaxo est, sed Lysidice, Pelopis filia, v. g. Schol. Pind. Ol. 7. l. l., Schol. Townl. l. d., Plutarch. Thes. 7, ita ut Lysidice ab aliis Alcaeo, ab aliis Mestori, ab aliis denique Electryoni nupsisse dicatur. Diodorus Sic. IV, 9. p. 254 Eurydicen, Pelopis filiam, nuncupat; cf. Eurip. Heracl. 210. Alcmenae matrem e Pelopis filiabus fuisse lubens amplector, ut affinitatis difficultates inter Amphitruonem et Alcmenam removeantur, quae oriuntur si Anaxo Alcmenae fuit mater, et

*) Joci causa ridiculam Potteri ad Tzetz. Lycophr. 932 p. 104 emendationem (scilicet) apponam. Narrat Tzetz. ex Apollodoro Electryonis caedem, et recte dicit: ἀφεὶς ἐπ' αὐτὴν (bovem aberrantem) ῥόπαλον Ἀμφιτρύων, ἀνεῖλεν αὐτὸν, ἀποκρουσθέντος ἀπὸ τοῦ κέρατος τοῦ ῥοπάλου καὶ πλήξαντος αὐτόν κ. λ. Utroque loco Potter pro αὐτὸν reponit αὐτὴν et refert ad bovem. Ignorat igitur historiam de caeso ab Amphitruone Electryone; operae sane pretium foret videre famosum illum baculi iactum, quo a cornibus repercusso bos tamen occisa sit; magis vero mirabilis foret Stheneli furor vel rabies potius, qui bovem occisam sufficientem putaverit praetextum, ut fratrem regno exueret.

quae, ut supra exposui cum ordine naturae vix convenire videntur.

Antequam finiamus hoc caput, dicenda sunt quaedam de Licymnii posteris. Licymnius, ut supra dictum iam est, Perimeden duxit (sive Amphitruonis, sive Creontis ea fuit soror; cum Creontis filia tempus male convenire fateor; at res Thebanas et Herculis historiam difficile accommodari inter se, aliis observatum iam est); Argēus, Melas, Oeonus filii commemorantur Apollod. II, 7, 7, 8. p. 222. Diod. Sic. IV, 33. Pausan. III, 15, 3. p. 244. Eustath. ad Hom. Il. II, 581. p. 293. De Oeono cf. Heyne ad Apollod. II, 7, 3, 2.

Amphitruonis et Alcmenae filius Iphicles s. Iphiclus, Herculis frater et socius, Jolai pater (Paus. VIII, 14, 6. p. 629) Herculis in plerisque laboribus comitis, de quibus plura in parte secunda. Iphicli soror etiam commemoratur Laonoë s. Laonome (Schol. Apollon. Rh. I, 1241. Schol. Pind. Pyth. 4. p. 234. 237) quae Polyphemo s. Euphemo Argonautae nupsit (Ib. ib.), de cuius natalibus non conveniunt auctores; disputabitur de eo in Lelegis stirpe. Ab Euphemo gradu decimo septimo Battus descendere traditur, qui coloniam in Africam deduxit. Cf. Schol. Pind. d. l.

Pherecydis est fabula ap. Antonin. Liberal. c. 33 (ap. Sturz. fr. L. p. 184), Alcmenam summa senectute Thebis mortuam, Jovis iussu in fortunatorum insulas translatam ibique Rhadamanthyi nupsisse; eius vero loco lapidem arcae impositum esse. De Alcmena, Rhadamanthyis in fortunatorum insulis uxore, videndi quos Creuzer laudat Meletem. parte I. p. 89. Pausaniae haec fabula innotuisse videtur, quamvis immutata iam aliquantulum, (quae harum fabularum est fortuna); certe enim huc referenda est narratio de Alcmena in lapidem mutata; tradit haec e Thebanorum relatione IX, 16, 4. p. 743. A recentioribus deinde iterum ampliata est fabula, vivensque Rhadamanthys e Creta profugus viventem duxit Alcmenam Ocaleaeque in Boeotia cum ipsa vixit. Plutarch. Lysand. c. 28. Apollod. II, 4, 11, 8. p. 159. — Ceterum Alcmenae sepulcrum terrae suae Megarenses

etiam vindicabant, eiusque rei testem excitant Deum Delphicum. Pausan. I, 41, 1. p. 98.

....

PARTIS PRIMAE

CAPUT QUARTUM.

PROETUS EIUSQUE PROGENIES USQUE AD EXSTINCTIONEM HUIUS LINEAE.

Antequam Heraclidas tractandos aggredimur, haud alienum erit Proeti stemma inserere, ut utraque linea ab Abantis filiis descendens ad belli Troiani tempora deducatur. De Proeto quaestio difficilioribus est adnumeranda, cuius rei causa patet, quum hic locus Tragicis frequentatus non ornamento tantum poëtico sed complicata etiam confusione haud mediocriter sit turbatus; qua de re videbimus, praemisso stirpis stemmate quale ad Apollodori mentem confecit Heynius (Tab. X, c); ipse enim Bibliothecae auctor vel non descripsit Proeti familiam, vel temporis iniuria ea descriptio periit, plures quidem ex eius posteris commemorantur, sed passim nec continua serie. E Pausania igitur aliisque auctoribus ordo restituendus erit.

Proetus υ Antea s. Stheneboea

Lysippe — Iphianassa — Megapenthes — Iphinoë

Megapenthes: (Anaxagoras)

(Anaxagoras): Alector — Hipponous υ (Laodice)

Alector: Iphis

Hipponous υ (Laodice): [Periboea] — Capaneus υ Euadne

Iphis: Eteoclus — Euadne — (Laodice)

Capaneus υ Euadne: Sthenelus.

Proetum Abantis filium, Argivorum regem et Proetum, Thersandri filium, Aeolidam, Corinthi regem a veteribus confundi ab aliis monitum iam et recte Clavier v. g. (in Hist. d. prem. temps de la Grèce et in notis ad Apollod.) a Pausania II, 6, 2 id factum observat, frustra obloquente Siebe-

lisio, qui neque cum Pausania neque cum Homero haec congruere asserit. Videamus igitur accuratius totamque quaestionem in censum revocemus.

Antiquissimam fabulae formam et recentiorum fere omnium fontem primarium invenimus apud Homerum, incorruptum et sincerum testem, Iliados VI, 152—210. Causam suam agat Glaucus, Hippolochi filius: Ephyra urbs est Peloponnesi, ubi Sisyphus olim habitavit, Aeolida, hominum astutissimus, cuius filius fuit Glaucus qui procreavit Bellerophontem, pulchritudine eximium et virtute. Sed Proetus, qui potentia omnes superabat Argeos (Jupiter enim Proeti sceptro subiecerat Bellerophontem) exulare eum iussit, commotus falsis Anteae uxoris criminationibus, quasi castitati vim inferre tentasset, eumque in Lyciam misit ad socerum, qui eum interficiendum curaret; sed mox Lyciae rex virtutem eius miratus ita eum adamavit, ut filiam ipsi collocaret, et in imperii consortium adsciscceret. Filium procreavit Hippolochum, Glauci patrem, eiusdem qui apud Homerum hanc gentis suae historiam Diomedi narrat. Quod si hanc rei gestae narrationem animo sincero et non praeoccupato examinaverimus, scenam historiae Ephyrae fuisse haud cunctanter statuemus; expressis verbis id affirmat poëta versu 152; et repetit v. 208 in pulcherrima illa Hippolochi ad Glaucum in bellum proficiscentem cohortatione

πέμπε δέ μ' ἐς Τροίην, καί μοι μάλα πόλλ' ἐπέτελλεν,
αἰὲν ἀριςεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων,
μηδὲ γένος πατέρων αἰσχυνέμεν, οἳ μέγ' ἄριςοι
ἔν τ' Ἐφύρῃ ἐγένοντο καὶ ἐν Λυκίῃ εὐρείῃ.

De populo igitur Ephyraeo, et rege Ephyrae intelligendum est, si refert Glaucus v. 157

— αὐτάρ οἱ Προῖτος κάκ' ἐμήσατο θυμῷ·
ὅς ῥ' ἐκ δήμου ἔλασσεν ἐπεὶ πολὺ φέρτερος ἦεν
Ἀργείων· Ζεὺς γάρ οἱ ὑπὸ σκήπτρῳ ἐδάμασσεν.

Quisnam tandem dubitabit, de Proeto, Ephyrae s. Corinthi rege esse sermonem, et cui incorrupto iudicio examinanti Argorum vel Mycenarum rex in mentem veniet? Nullum

adest vestigium de Argis, nullum de Mycenis; de Ephyrae rege agitur; Ephyrae regnavit Proetus, Ephyraeque vixit Bellerophon, non tanquam rex autocrator, sed Proeti imperio parens; eiusdem civitatis rex fuit Proetus in qua Bellerophon, quamvis fortior privatus tamen vixit. Id ipsum intellexit Pausanias (II, 4, 2. p. 119: Βελλεροφόντην δὲ οὐκ αὐτοκράτορα ὄντα βασιλεύειν, εἶναι δὲ ἐπὶ Προίτῳ καὶ Ἀργείοις ἐγώ τε πείθομαι καὶ ὅςις τὰ Ὁμήρου μὴ πάρεργον ἐξελέξατο.) Sed a confusione Proeti cum Argivo non satis sibi cavit. A rege igitur suo Corintho excedere et in Lyciam abire iussus est; ipse enim eum interficere noluit eiusdem stirpis hominem (σεβάσσατο γὰρ τόγε θυμῷ). Res tam plana est, ut nisi veteres iam confusione propagata turbassent locum, explicatione omnino non indigere videatur.

Perturbationis ansam ab ipso Homero praebitam suspicor. Proeti Argivi fama multo clarior fuit quam Proeti Corinthii; iam quum poëta de Proeto dicat πολὺ φέρτερος ἦεν Ἀργείων, recentiores male interpretati vocem Ἀργείων ad Proetum Argivum referebant, et Pausanias l. s. l. ex hoc ipso loco colligit, iam tum Corinthios Argorum vel Mycenarum regibus paruisse. (— φαίνονται δὲ καὶ Βελλεροφόντου μετοικήσαντος ἐς Λυκίαν οὐδὲν ἧσσον οἱ Κορίνθιοι τῶν ἐν Ἄργει δυναςῶν ἢ Μυκήναις ὑπακούοντες· ἰδίᾳ τε οὐδένα παρέσχοντο ἄρχοντα τῆς ἐπὶ Τροίαν ςρατιᾶς, συντεταγμένοι δὲ Μυκηναίοις καὶ ὅσων ἄλλων Ἀγαμέμνων ἡγεῖτο, μετέσχον τοῦ ςόλου. —), quod probari posse nego, quum nonnisi falsa argumentatione e loco nostro deductum sit; quamvis enim Pausaniam Homeri carmina „πάρεργον“ legisse affirmare nolim, non satis tamen nominis Ἀργεῖοι apud Homerum significationem perspexit, si de Argorum incolis interpretatur; etiam Corinthios Homero Ἀργείους esse e versu 152 videre potuisset „ἔςι πόλις Ἐφύρη, μυχῷ Ἄργεος ἱπποβότοιο.“ Quam facilis autem Graecis recentioribus haec permutatio fuerit, exemplo demonstrabo. Eustathius ad Hom. Od. XI, 325. p. 1688, 63 refert, Maeram, Proeti et Anteae, βασιλέων Ἄργους, filiam, pulchritu-

dine excelluisse, Dianae comitem fuisse cet.; si fontem huius narrationis circumspicimus, e Pherecyde sua hausisse archiepiscopum inveniemus. Cf. Schol. ad Hom. l. l. (ap. Sturz. fr. LXXII. p. 207). Pherecydes igitur hunc Proetum Argorum regem appellaverat? Neutiquam; ex ingenio suo haec addidit Thessalonicensis, vel potius immutavit; expressis enim verbis Proetus is, Anteae maritus, Maerae pater, appellatus fuerat a Pherecyde Thersandri filius; et eandem genealogiam in Nostis expositam fuisse e Pausania discimus X, 30, 2. p. 872 fin. ubi Maera Proeti filia, Thersandri neptis, Sisyphi proneptis nuncupatur. Ad Corinthum igitur pertinet Proetus eiusque uxor Antea. Anteam Homerus Lyciae regis filiam appellat, nomen reticet; supplerunt recentiores, sed inter se non conveniunt, quum Jobates ab aliis, ab aliis Amphianax perhibeatur; binominem eum fuisse mihi persuadeo, ita ut Jobates et Amphianax eiusdem hominis sint nomina. Amphianactis filia est Antea apud Pherecydem, Jobatis e fama vulgari; in Lyciam abiisse Bellerophontem e patria pulsum a Proeto, consensu communi tradit antiquitas, de regis nomine ambigit, quippe quod ab Homero reticetur; hoc etiam modo Apollodori locum intelligo (II, 2, 1, 3. p. 127) ὁ δὲ ἧκεν εἰς Λυκίαν πρὸς Ἰοβάτην· ὡς δέ τινες φασὶ, [εἰς Λυκίαν] πρὸς Ἀμφιάνακτα. — Etiam filiae nomen, quam Lyciae rex Bellerophonti elocat, Homerus silentio praetermittit.

Jam videamus quid de Siebelisii opinione, Proetum Corinthi regem cum Homero non congruere, sed Argorum regem intelligendum esse, iudicandum sit. Bellerophon et Proetus ille de quo agitur, aequales fuere et eiusdem fere aetatis. Bellerophontis filius Hippolochus, nepos Glaucus, qui bello Troiano interfuit. Floruit igitur Bellerophon annis 70—75 ante bellum Troianum; Proetus vero Corinthius, Nostorum auctoritate, tertius erat a Sisypho, ita ut stemma hoc sit:

Sisyphus

Thersander — **Glaucus**

Jobates

Proetus ∪ Antea. **Philonoë ∪ Bellerophon.**

Quid in hac tabula sit incongruum, me non videre fateor; optime e contrario omnia convenire videntur. Videamus autem de Proeto Abantis filio. Ab Acrisio, Proeti fratre, usque ad Tlepolemum, belli Troiani socium, septem numerantur generationes, ergo 230 circiter anni; et si in Proeti ipsius linea descendimus usque ad Sthenelum et bellum Troianum, e Pausaniae stemmate item 7, ex aliorum computatione sex tantum generationes, quae efficiunt circiter 200—230 annos; floruit igitur Proetus anno fere ducentesimo ante bellum Troianum; num hic ergo aequalis esse potuit Bellerophontis? Videat Siebelisius quomodo in concordiam haec redigat; mihi Homeri narratio in Proetum Sisyphidam melius quadrare videtur.

Hanc Proeti Argivi et Corinthii confusionem necessario aliae turbae secutae sunt, et fabula hanc solam ob causam varias mutationes subire debuit, quas articulis sequentibus exponam: 1) Apud Homerum Proetus Corinthi rex est; falsis uxoris Anteae commotus calumniationibus Bellerophontem in Lyciam abire iubet. 2) Recentiores quum Ἀργείων nomen male de Argorum incolis intelligerent, Proetum, Corinthi regem cum multo antiquiore illo Argorum vel potius Tirynthis rege confuderunt. 3) Quod ut fieri possit, quum absque controversia Bellerophontes Corinthius sit, Proeti Argivi vero uxor Bellerophontis amore capta dicatur, in Argorum urbem migrasse debuit Bellerophontes (Tzetz. ad Lycophr. 17. p. 3. b. Eustath. ad Hom. Il. VI, 158. p. 632). Quonam alio enim modo cum Antea commercium habere potuisset? 4) Invenienda igitur erat causa, ob quam relicta Corintho Tirynthem se contulerit; (si enim Eustathius dicto loco lin. 4 εἰς Ἄργος confugisse eum narrat, hoc ipsum

probare videtur, confusionem ortam esse e Poëtae loco male intellecto; nam non Argorum sed Tirynthis rex fuit Proetus, quae sola res recentiores historiarum scriptores cautiores reddere debuisset; Argis non Proetum sed Acrisium invenisset antiquiore illo tempore.); cuius inveniendae occasionem praebuit ipsum herois nomen; effinxerunt inde Βέλλερον δυνάςην Κορινθίων quendam (Eustath. l. l.), ab eo occisum scilicet; huius caedis expiandae gratia ad Proetum abiit. Qui quidem Bellerus eodem modo retro argumentando inventus est, ut Argus ille Panoptes a Mercurio occisus originem debuit nomini Argeiphontes. 5) Si a Bellero occiso appellatus est Bellerophontes, aliud quaerendum erat nomen, quo ante novam hanc acquisitionem usus sit; qui quaerit invenit; Βελλεροφόντην ὅν φασιν Ἱππόνουν τά πρῶτα κυριολεκτεῖσθαι ἢ Λεωφόντην (Eustath. l. d.). Homerus neque Hipponun novit neque Leophontem, tantumque abest ut antiquissima haec nomina sint, ut recentissimorum habenda sint figmenta. Ad horum fere lineamentorum rationem fabula a poëtis exornata, historiae vero forma deformata videtur. Abantis posteri copiosam Tragicis praebuere materiam; Acrisii et Proeti in matris iam utero discordia, eorum bella, Danaae fata, Persei res gestae et avi involuntaria caedes maxime erant celebrata; Homeri locus male intellectus, nominum concentus, fortasse etiam cycli mythici ampliandi studium (amasse enim tragicos, materiam tragicam in unum quasi focum colligere, et totam fere antiquitatem in paucos quosdam articulos cogere, neglecta ratioue historica, inter omnes constat) ansam praebuit, ut Proetum Corinthi regem, Stheneboeam et Anteam, Bellerophontem et res Lycias eodem traherent; item Proeti filias furentes et Melampodem totamque eius domum; unde orbis hic tragicus e locupletissimis factus est.

Videamus nunc num Stheneboea Proeti Argivi an Corinthii uxor fuerit; Apollodorus Argivi dicit, et quidem e Tragicorum auctoritate. Stheneboeam Aphidantis Arcadis

filiam fuisse docemur Apollod. III, 9, 1, 2. p. 305 *). Jungamus igitur stemmata:

```
                Abas
        ┌─────────┴─────────┐
     Proetus            Acrisius.
                            |
                          Danaë
                            |
                         Perseus
                            |                  Apheidas
                        Electryo                   |
                            |          ┌───────────┴───────────┐
                         Alcmene     Aleus               Stheneboea
                            |          |
                        Hercules ∪ Auge.
```

Ut a novissimis incipiamus, Auge, Alei filia, ab Hercule gravida facta, ergo ipsi aequalis fuit. Cf. hac de re Apollod. III, 9, 1, 4. p. 305. II, 7, 4, 1. p. 214. Pausan. VIII, 4, 6, p. 606. VIII, 48, 5. p. 698. Augae pater Aleus fuit, huius soror Stheneboea, quam quomodo ducere potuerit Proetus, Acrisii frater gemellus, alii videant; meum acumen huic rei par non est. Alei filius Lycurgus, nepos Ancaeus, pronepos Agapenor, belli Troiani socius; vixit igitur Stheneboea tres fere hominum aetates ante bellum Troianum; totidem numerari usque ad Proetum Corinthium supra vidimus; commode igitur Stheneboeam ducere potuit Proetus Aeolida, neque hoc repugnat Homero; plures duxit uxores Proetus, An-

*) Heyne ad Apollod. h. l. p. 266 dicit: „Σθενέβοιαν ἣν γαμεῖ Προῖτος. Nunc alios auctores sequitur, quam sup. II, 2, 1, ubi Amphianactis filia erat. An hunc ex Aphidante factum putabimus: 'Αμφιάνακτος pro 'Αμφιδάμαντος?" In quo plures errores latere videntur; Apollod. II, 2, 1 Stheneboeam Amphianactis filiam non appellaverat, dicit tantum Ap. Bellerophontem ad Amphianactem (in Lyciam) abiisse; Amphianactis autem filia Antea fuit, non Stheneboea; cf. Pherecyd. l. l.; ergo ap. Ap. II, 2, 1 nihil mutandum est; si vero mutandum esset, quid sibi vult „'Αμφιάνακτος pro 'Αμφιδάμαντος?" Apollodorus dicit πρὸς 'Αμφιάνακτα et Heynius Aphidantis nomen reponendum esse suspicatur; scribere ergo voluit: „an hunc ex Aphidante factum putabimus: 'Αμφιάνακτα pro 'Αφείδαντα?" At vulgata sana est.

team et Stheneboeam; Proeto vero Argivo alia quaerenda erit uxor; at equidem recuso munus mediatoris.

Transeamus ad Melampodem eiusque cum Proeto et filiabus furentibus connexum. Homerus pluribus locis historiam Melampodis tangit satisque copiose eam exponit Od. XI, 287 sqq. et XV, 223 sqq., sed de Proetidibus vel feminis Argivis furore abreptis et ab eo sanatis ne vocula quidem; unde hanc fabulam incognitam ipsi fuisse satis tuto concludere possumus; si enim de Melampode canit poëta (Od. XV, 236 sqq.):

— ἐτίσατο ἔργον ἀεικὲς
ἀντίθεον Νηλῆα, κασιγνήτῳ δὲ γυναῖκα
ἠγάγετο πρὸς δῶμαθ'. ὁ δ' ἄλλων ἵκετο δῆμον
Ἄργος ἐς ἱππόβοτον· τόθι γάρ νύ οἱ αἴσιμον ἦεν
ναιέμεναι, πολλοῖσιν ἀνάσσοντ' Ἀργείοισιν·
ἔνθα δ' ἔγημε γυναῖκα, καὶ ὑψερεφὲς θέτο δῶμα κ. λ.

nonne Proeti eiusque filiarum mentionem facere potuisset, imo debuisset, si fabulam illam novisset? At non novit; et omnino lustrationes, expiationes quales in Melampodis mytho occurrunt, ab Homeri religione alienas fuisse existimo. Primus Proetides insanientes commemorasse videtur Hesiodus (in Catalogo haud dubie), qui insaniam earum a Baccho iniectam tradidit ob spreta Bacchi initia; versus aliquot huc spectantes servati sunt ap. Suid. v. μαχλοσύνη; et tres ap. Eustath. ad Hom. Od. XIII, 401. p. 1746, 10 cf. etiam ad Il. XXIV, 28. p. 1337, 34. Sed neque ex Apollodoro, neque ex Eustathio perspicimus, num Hesiodus de Proeti Argivi an Corinthii filiabus locutus sit; porro non apparet, num Proetidum insaniam cum Melampodis fabula iunctam iam tradiderit Hesiodus; non docemur denique, num historia de imperio cum Melampode a Proeto communicato cognita iam fuerit poëtae. Quomodo Acusilaus docuerit fabulam itidem ignoramus, quum Apollodorus nihil de eo narret, quam ex eius relatione Proetidibus insaniam iniectam esse ob contemtam Junonis statuam. Satis exculta iam prostat fabula apud Pherecydem (Schol. Homer. Odyss. XV, 225 ap. Sturz. fr.

XXVI. p. 124) Proeti Argivi filiae ob Junonis templum contemtui habitum insanientes, et Peloponnesum pervagantes *), a Melampode lustrationibus sanatae, imperii pars cum Melampode communicata, et eius cum Iphianassa connubium. Primus Pherecydes expressis verbis Proetum, Argorum regem, in hac fabula commemorat, si fides est Scholiastae. Cf. Schol. Pind. Nem. 9. p. 407.

Alia auctorum cohors non Proeti filias sed feminas Argivas insanientes, Anaxagora regnante, a Melampode sanatas esse et ab Anaxagora in regni consortium receptos Amythaonidas narrat. Nominandi sunt hoc titulo Diodor. Sic. IV, 68. Pausan. II, 18, 4. p. 150. Eustath. ad Hom. Il. II, 566. p. 288, 27; eodem referendus est Herodotus (IX, 34), qui mulieres Argivas insanientes commemorat, regis vero nomen et mentionem omnino reticet, quum ex eius narratione tota res non per regem sed per populum transigatur. Eandem opinionem Menaechmus Sicyonius amplexus videtur (ap. Schol. Pind. Nem. 9), quod Melampodidarum et Anaxagoridarum familias nuncupat; si enim Proeti filias sanasset Melampus, ab hoc regni partem accepisset, et Menaechmus Melampodidarum et Proetidarum stirpes nuncupasset. Eustathius (l. d.) in utramque partem disputari innuit (— Μελάμπους καθάρας τῆς μανίας τὰς Ἀργείας, ἢ ὥς τινες μᾶλλον φασὶ, τὰς Προιτίδας —); ipse tamen quum Anaxagora regnante id factum tradat, iis calculum adiecisse videtur, qui mulieres Argivas insaniisse referant. Pausanias sibi non constat; loco enim primario II, 18, 4 de feminis Argivis loquitur; aliis vero locis sibi alteram etiam de Proeti filiabus traditionem ignotam non fuisse prodit, v. g. II, 7, 7. VIII, 18, 3.


Jam liceat ex coniectura historiam huius fabulae com-

*) Locum Pherecydis mutilum censeo, et excidisse vagationis commemorationem mihi persuadeo. Dicit Sturzius: „In sequentibus verbis dura quaedam anacoluthia est: ἁμαρτουσῶν — παραγενόμεναι — καὶ διὰ τοῦτο μάντις ὤν. Nec tamen aliquid excidisse putaverim.“ At eiusmodi inconcinnitas semper est suspecta, vel in Scholiasta.

ponere: 1) Antiquissima fabulae forma ea fuisse videtur, quod Melampus, vates et medicus (ἰατρόμαντις ut Apis Aeschylo audit Suppl. 265) Proeti Corinthii filias morbo laborantes (quisquis is fuerit) artis medicae peritia, et adhibitis fortasse lustrationibus quibusdam, sanavit, unamque earum uxorem duxit, quod cum chronologia egregie convenit. Sic Hesiodum docuisse puto. 2) Fabulae conditor antiquissimus de Proeto Ἀργείῳ fortasse locutus fuerat, quod quum recentiores (eodem modo quo apud Homerum) male de clariore illo Abantis filio intelligerent, totam de Proetidibus earumque sanatione historiam ad hunc transtulerunt, quod cum specie quadam veritatis facere videbantur, quum Melampodidarum imperii Argivi consortio ratione quadam et causa indigeret, eaque hac fabula inventa putari posset. — 3) Quum autem alii mox viderent, ob temporum rationes Melampodem, Abantis filii aequalem nullo modo esse potuisse, et alia prostaret traditio, e qua Anaxagora regnante in Argorum demigravit civitatem Melampus (quae quidem omnino cum chronologia convenit), hanc quidem adoptandam censuerunt, et sanationis beneficium retinentes, Proetidibus feminas Argivas substituendas curarunt. 4) Alii denique furentibus illis sive Proetidibus sive mulieribus Argivis Anticyram helleborique usum commendantes, celebratam illam imperii Argivi divisionem affinitate (quam Homerus iam innuit Od. XV, 241) satis declarari putarunt (Strab. VIII. p. 569 sq.), quorum parti me etiam favere equidem non infitior.

Restat ut genealogicis quibusdam argumentis demonstrem, Melampodem Proeti Abantiadae aequalem esse non potuisse. Tradit quidem Apollodorus (II, 2, 2, 4. p. 129); Amythaonem Melampodis patrem duxisse Idomenen Abantis filiam; sed parum in eo sibi constat; alio enim loco (I, 9, 11, 2. p. 71) veriore titulo eandem Idomenen Pheretis filiam nuncupat. Ut magis appareat res, Abantis et Aeoli stemmata, quatenus huc pertinent, componam, Gorgophonae et Perieris connubio tanquam coniunctionis articulo usurus.

Me quidem non fugit, fuisse qui Perieren non Aeoli sed Cynortae Laconis filium perhiberent, ut docet Apollodorus I, 9, 5. p. 67, ubi ipse hanc opinionem probare videtur; at si ulla in re, in hac fluctuat; I, 7, 3, 4. p. 45 enim absque ulla dubitationis nota Perieren Aeoli filium appellat; I, 9, 5 ab aliis Cynortae filium nuncupari affirmat, et ipse horum auctoritatem sequitur; III, 10, 3, 4. p. 313 iterum absque dubitatione Cynortae filium nominat; III, 10, 4, 5. p. 318 denique iterum Aeoli est filius; sed de loco hoc corrupto in Aeolidis dicturus sum. At quum Hesiodus *) et antiquissimus quisque Perieren Aeolidam perhibeant, nec ego dubito in Aeoli stirpem ipsum admittere; copiosior vero rei expositio ab hoc loco aliena est.



*) Hesiodi versus in libris quibusdam falso leguntur; apud Schol. Pind. Pyth. 4, 253 efferuntur: Αἰολίδαι

Quam male haec inter se cohaereant, nemo non videt, me etiam non monente; qua in re tenendum est Melampodis et Bellerophontis aetatem tuto satis constitui; uterque enim circa tertiam aut quartam generationem ante bellum Troianum vixit; circa Proeti et Acrisii vero aetatem, non multum errare possumus, quum in eorum stemmatibus tota fere antiquitas conveniat, ita ut e generationum numero accurata satis computatio deduci possit. — Si, quae mea est coniectura, Proetides insanientes ad Proetum Corinthium sunt referendae, Maerae sorores fuerunt, cuius vitae genus (εἵπετο τῇ Ἀρτέμιδι ἐπὶ τὰ κυνηγέσια Pherecyd. p. 207) et ipsum ad vagantes Proetides nos advertit. Omnino negligendum non videtur, Proetidum sanationem et lustrationem ad Dianae cultum referri, quae Hemeresia inde s. Hemeria dicta est. Dicit de eis Pausanias (VIII, 18, 3. p. 636): — ἃς ὁ Μελάμπους θυσίαις τε ἀποῤῥήτοις καὶ καθαρμοῖς κατήγαγεν ἐς χωρίον καλούμενον Λουσούς — καὶ ἠκέσατο τῆς μανίας ἐν Ἀρτέμιδος ἱερῷ. καὶ ἀπ' ἐκείνου τὴν Ἄρτεμιν ταύτην Ἡμερησίαν καλοῦσιν οἱ Κλειτόριοι. Quocum conferendi sunt Callimachi versus hymn. in Dian. 233. ib. Schol. et Spanh.

ἦ μέν τοι Προῖτός γε δύω ἐκαθίσσατο νηούς·
ἄλλον μὲν Κορίης· ὅτι οἱ συνελέξαο κούρας
οὔρεα πλαζομένας Ἀζήνια· τὸν δ' ἐνὶ Λούσσοις
Ἡμέρῃ, οὕνεκα θυμὸν ἀπ' ἄγριον εἵλεο παίδων.

Jam in fine huius de Proeto episodii, tabulam subiiciam Abantiadarum et Aeolidarum, quatenus ad quaestionem nostram spectant, usque ad belli Troiani tempora, ut uno prospectu quomodo res accommodanda mihi videatur, proponam.

δ' ἐγ. — Σαλμωνεὺς ἄδικος καὶ ὑπέρθυμος πέρι κῆρι, uti Heyne etiam versum laudat (ad Apoll. I, 9, 7. p. 59) sine ulla corruptionis suspicione; at legendum est — καὶ ὑπέρθυμος Περιήρης, ut recte exhibet Tzetz. ad Lycoph. 284. p. 37 b.; at laborant hi versus in editione Oxon. transpositione; hoc enim ordine collocandi sunt 1. 3. 4. 5. 2.

8) Abas
7) Proetus — 7) Acrisius
6) Megapenthes — 6) Danaë
5) Argeus — 5) Perseus
4) Anaxagoras — 4) Electryo — Gorgophone ∪ Perieres
3) Hipponous — 3) Alcmene
2) Capaneus — 2) Hercules
1) Sthenelus — 1) Tlepolemus — 1) Thessalus
1a) Phidippus — Antiphus

6) Aeolus
Gorgophone ∪ Perieres — 5) Cretheus — 5) Sisyphus
Pheres — 4) Amythaon
Idomene ∪ 4) Amythaon
3) Melampus ∪ Iphianassa
2) Mantius
1) Polyphides
Theoclymenus.

5) Sisyphus
4) Glaucus — Thersander
Jobates
3) Bellerophon ∪ Philonoë. — Antea ∪ Proetus
2) Laodamia — 2) Hippolochus — Maera — Iphianassa — Iphinoë — Lysippe.
1) Sarpedon — 1) Glaucus

Tabulae explicandae causa quaedam sunt adiicienda. Proeti posteros e Pausaniae narratione apposui; in Acrisii linea tenendum est, stirpem bis femella propagari, semel per Danaën, deinde per Alcmenam, quo fit ut singulae huius lineae generationes propius Abanti admoveantur, quam respondentes generationes alterius lineae, h. e. ut v. g. Perseus Abanti propior sit quam Argeus. Jam si concedimus (et nihil impedire puto quo minus id faciamus) Gorgophonen Persei liberorum natu maximam, Perieren vero (quod probari fortasse potest) Aeolidarum minimum fuisse; in audaciae crimen incurrere non videmur, si Argeum senem, Electryonem et Perierem iuvenes, Cretheum et Sisyphum aetate provectiores eodem fere tempore vixisse statuimus, et generationi quintae ante bellum Troianum, quales in Proeti linea numerantur, respondere. Glauci et Amythaonis genealogiae, item Herculis posteri, qui bello Troiano interfuerunt, ex Homero descripti sunt. Theoclymenus ad tempora post bellum Troianum pertinet. Ceterum hac in tabula omnia ad amussim esse exacta, nullus affirmaverim; sed harum rerum studiosi experientia edocti sciunt, quam sit difficile, ne dicam quam sit desperatum, has quaestiones ad probabilitatem quandam perducere. — At tempus est ut redeamus ad Proeti stemma ex Apollodoro descriptum.

De Proeto eiusque filiabus dixi quae dicenda habui; Lysippen et Iphianassam commemorat Apollodorus II, 2, 2. p. 128, quibus additur II, 2, 2, 8. p. 130 Iphinoë natu maxima. Heynius in notis crit. ad primum illum Apollodori locum haec verba: *Λυσίππη τε καὶ Ἰφινόη καὶ Ἰφιάνασσα* versum veteris poëtae constituisse putat. Sane si inserimus *τε καὶ Ἰφινόη* versus erit hexametricus; et si hunc nominum ordinem alicubi inveniremus, veteris poëtae versum esse sine multo labore coniicere possemus; at uti vere se habet res, melius in prosaica lectione requiescimus. Megapenthem bis commemorat II, 2. fin. p. 130 et II, 4, 4, 3. p. 146. Eundem cum Iphianira filia, quae Melampodi nupsisse dicitur, apud Diodorum Sic. IV, 68. p. 312 invenimus.

Anaxagorae mentio in Apollodoro non est, quare Alector et Hipponous ex aliorum stemmatum auctoritate ipsi substituendi sunt. Alector cum Iphide filio, sed sine patris nomine est III, 6, 2, 2. p. 278 Eteoclus, Iphidis filius III, 6, 3, 4. p. 280 Euadne, Iphidis filia, Capanei uxor III, 7, 1, 5. p. 292 ubi cf. Heyne. Laodice, Iphidis filia, Hipponoi uxor, immerito ab Heynio tabulae Apollodori inserta est, quum apud hunc non occurrat; desumta est e Schol. Eurip. Phoenn. 185, non sine controversia; Hyginus enim fab. 70 Astynomen, Talai filiam, Hipponoi uxorem appellat; utrumque verum esse potest, sed primum temporis ratione difficulter. Hipponous eiusque filius Capaneus III, 6, 3, 2. p. 280. Haud cunctanter Heynius in tabulam recipere potuisset Periboeam, Hipponoi filiam, Oenei uxorem, Tydei, ut quidam perhibent, matrem, I, 8, 4. p. 58, non enim adest ratio ob quam huius nostri Hipponoi filiam non fuisse suspicemur; et Tydeus quum ob caedem patratam patria profugus Argos abiret, ad affines certe concessit. Sthenelus, Capanei filius (III, 7, 2, 5. p. 293) inter Helenae procos recensetur. III, 10, 8, 2. p. 321.

Pausaniae, si varios de Proeti familia locos colligimus hanc habebimus tabulam:

Proetus
|
Megapenthes
|
Argus s. Argēus
|
Anaxagoras

Alector	**Hipponous**
|	|
Iphis	**Capaneus**
|	|
Eteoclus	**Sthenelus**
	|
	Cylarabes.

Vide locos eius hac de re primarios II, 18, 4, p. 150 et X, 10, 2. p. 821. Proeti filium Megapenthem auctores habent plurimi; praeter Pausaniam et Apollodorum et Diodorum

Siculum, Scholiasta Ven. Villois. ad Hom. Il. II, 564. (Catal. 71), Schol. Pind. Nem. 9. Magis ambigunt de Argo s. Argeo, cuius praeter Pausaniam nonnisi Schol. Eurip. Phoen. 185, quantum scio, mentionem facit; in utroque loco lectio variat. De homine vix dubito, quamvis a plerisque omittitur. Hipponous a Pausania quidem expressis verbis Anaxagorae filius nusquam appellatur; at quum in eo omnes fere auctores consentiant, Anaxagorae ipsum subnectere nullus dubitavi. Si a Pausania (II, 18, 4) Capaneus Iphidis ἀδελφός vocatur, quum ἀνεψιός sit, non est quod haereamus, et immerito, opinor, Clavier Καπανέως ἀνεψιοῦ restituendum proposuit, quum non uno loco Pausanias vocabulo ἀδελφός pro consobrino utatur; vide v. g. I, 14, 2. p. 34 ib. Sylb., et quod fortasse etiam huc trahendum est V, 11, 2. p. 402, ubi Panaenus Phidiae ἀδελφός nuncupatur, quem Strabo VIII, 354 ἀδελφιδοῦν, Plinius vero h. n. 35, 8 et 36, 23 fratrem appellat. Parum difficultatis alius Pausaniae locus X, 10, 2 facessit, ubi lectio vulgata οἱ ἀπόγονοι Προίτου, καὶ Καπανεὺς Ἱππόνου καὶ Ἐτεόκλος ὁ Ἴφιος, non quidem nimis concinna, stare tamen posse videtur; καὶ — καὶ sibi respondent ut et — et; si addicerent codices primum καὶ lubens delerem; sine codice secus; nam salvo utroque καὶ et Capaneus et Eteoclus Proetidae erunt.

Restant quaedam stemmatum fragmenta, quae uno prospectu oculis subiiciam:

1) Schol. Villois. Il. II, 564. —	2) Eustathius. —	3) Schol. Pind. Nem. 9.
Proetus	Proetus	Proetus
|	|	|
Megapenthes	Anaxagoras	Megapenthes
|	|	|
Anaxagoras	Iphis	Hipponous
|	|	|
Hipponous	Eteoclus	Capaneus
|	|	|
Capaneus	Melon.	Sthenelus.
|		
Sthenelus.		

Eustathius non serie continua genealogiam describit; Proetum, Anaxagoram, Iphin habet ad Hom. Il. II, 566 p. 288;

Melon, Eteocli filius (Medon?) est ad Il. IV, 407. p. 489, ubi Capaneus etiam Stheneli pater ex hac familia occurrit. Num in hac descriptione erraverit Eustathius, an alios auctores nobis incognitos secutus sit, definire non audeo; ab eo solo, quantum scio, Anaxagoras, Megapenthe omisso, Proeti filius nominatur et Iphis Anaxagorae. Eteocli patrem non nominat; sed errasse mihi non videor, si ex aliorum auctoritate Iphidi eum subiungo. Apud Pindari Scholiastam Anaxagorae nomen excidisse vix dubito; refert enim Enarrator ex opinione communi (οἱ δέ φασι, quod opponit narrationibus Menaechmi et Dieutychidae), e qua Anaxagoras abesse non potuit, quum ab hoc ipso toti familiae Anaxagoridarum nomen inditum est, cuius idem Scholiasta in antecedentibus mentionem facit — τῶν Ἀναξαγοριδῶν. —

PARTIS PRIMAE

CAPUT QUINTUM.

HERACLIDAE.

Omnium Herculis liberorum prosapiam persequi non est mei consilii; quum multorum nonnisi nomina servata sint, alii vero recentiorum tantum arrogantiae originem debeant, quippe qui ad augendam populi vel stirpis gloriam ad Herculem adscendere amabant eique filium affingebant a quo ipsi scilicet erant oriundi. His aliisque commentis immanis illa filiorum seges orta est, (filiae enim paucissimae commemorantur) quam ignoravit bonus Homerus, quum Herculis fabula ante poëtarum patrem non eximie frequentata, post eius tempora praecipuo quodam amore atque studio culta, exornata, ampliata sit, donec multorum hominum rebus gestis in unum Herculem congestis eo crevit ipsius fabula, ut solus volumina sibi poscat. At quum vetustissima circa hanc rem monumenta perierint, et in his omnia illa carmina, in

quibus Herculis res pertractatae erant, et quae Heraclearum nomine insignia sunt, (quorum praecipua sunt a Panyasi, Pisandro et Cinaethone confecta,) ob fontium exilitatem et argumenti confusionem haec quaestio e difficillimis est totius antiquitatis. Tot pretiosissimorum antiquitatis monumentorum iactura nullo modo compensatur aridis, saepe ineptis, excerptionibus, quas Grammaticis aevi recentioris v. g. Apollodoro, debemus, quamquam in naufragio universali vel asserculus servatus neutiquam sit contemnendus. Utinam vero ingeniosius excerpsissent Grammatici illi! De fabulae indole et historia nihil; artis criticae vix vestigium; in laudandis fontibus negligentia non toleranda, verbo congeries potius et fabularum farrago, quam fabula bene digesta. Mythologi, (at quantas excitarunt turbas!) diviserunt iterum quod alii coniunxerant et pro viribus restituerunt Herculem Tyrium, Aegyptium, Cretensem, Thebanum et si Diis placet Doricum et indefesso studio lucem affundere allaborarunt argumento quod spissa caligine obrutum erat. At historia fabulae copiosa desideratur adhuc, quam utinam dare velit, penes quem est eruditio et peritia in tractandis eiusmodi quaestionibus. Res egregie iam est praeparata virorum magnorum studiis, praesertim, ne plures nominem, Creuzeri, cuius merita praeconio non indigent, et K. O. Muelleri (in Doriensibus I, p 411 sqq. et in Appendice II, p. 463 sqq.); qui optime difficili huic labori pares fuissent, nisi finis diversus in alias quaestiones ipsos abduxisset.


Mihi quidem neque in hac quaestione neque omnino in mentem venire potuit historiam conscribere fabulae Herculis, quum desint vires et consilii diversa ratio me revocet; a proposito meo adeo est alienum, quod repeto, omnes Heraclidarum lineas persequi, quum omnes bellum Troianum, laboris mei terminum, excedant; nihil aliud autem volui, quam primarias aliquot Heraclidarum stirpes usque ad reditum in Peloponnesum et condita ibi regna Dorica deducere; reliqua tanquam aliena vel inutilia silentio praetermittenda duxi. Quae enim, ut exemplo utar, utilitas redundare potest

in quaestionem historico-genealogicam, repetere quinquaginta Thespiadum ab Hercule gravidarum nomina filiorumque inde procreatorum, in quibus inveniendis mire se exercuit sciolorum vana et otiosa industria, nihil tam verentium quam ne aliquid nescire videantur; quid nostra interest, utrum Hercules omnes quinquaginta Thespiades una nocte compresserit (Pausan. IX, 27, 5. p. 763), et, quod Dii bene vertant, ex omnibus filios masculos susceperit, praeter e natu maxima et minima, quae gemellos edidisse traduntur; an eadem nocte praeter unam omnes (ibid.); an omnes stupraverit noctibus septem (Herodor. ap. Athenaeum XIII, 556); an denique, quod commodissimum videtur, singulas singulis noctibus, ita ut quinquaginta noctibus continuis opus peractum esset. (Apollod. II, 4, 10, 1. p. 156); qualis tandem, inquam, utilitas redundare potest ex his rebus ad quaestionem genealogico-historicam (de mythico-symbolica non loquor)? Recentiores quidem Herculis nomine tanquam collectivo usi vel abusi, in id congesserunt quidquid magni et praeclari factum est; alii sub eius nomine comprehendunt integrae gentis res gestas, et hoc titulo recte pro seminario habent, unde coloniarum duces, urbium et regnorum conditores deducerent; quam opinionem si adoptamus, ingens Herculis filiorum numerus mirabilis non amplius videbitur, qui certe tantus est, ut si heros ille sexum femininum eadem qua masculum industria propagasset, non contemnenda Heraclidarum colonia deduci potuisset. Sed redeamus ad rem nostram.

Herculis uxorem, Creontis filiam (natu maximam, Apollod. II, 4, 11, 6. p. 159) Homerus Megaram nuncupat Od. XI, 269 sq.; sed liberos eorumque fata reticet, de quibus videndi Scholiastae et Eustath. ad l. l. p. 1683. Magna de eorum numero et nominibus est diversitas. Locus principalis est apud Schol. ad Pind. Isthm. IV, 104. p. 459. Quo teste Dionysius ἐν πρώτῳ κύκλων Therimachum et Deicoontem nominaverat, quibus addidit Euripides tertium, Aristodemum. Dinias Argivus (recte enim pro Αἰνείᾳ Valcken. ad Theocr. p. 304 reposuit Δεινίᾳ; probavitque Heyne obss. ad

Apollod. II, 4, 11, 6) quatuor recenset Therimachum, Creontiadem, Deicoontem, Deionem. Hunc secutus videtur Apollodorus II, 7, 8. 9. p. 229, ubi a codicibus quibusdam abest quidem Deionis nomen (a librario fortasse, qui hunc auctoris locum cum alio II, 4, 11, 6. p. 159 conciliare operam dedit, in quo item hoc nomen abest); sed immerito puto; in utroque potius loco restituendum censeo, quum codices quidam altero loco addicant, et Pindari Schol. mentionem non faciat de aliis qui tres illos recenseant filios; ob nominum similitudinem Deion facile excidere potuit. Pherecydes libro secundo (cf. Pherec. frr. ed. St. p. 96 sq.) laudat Antimachum, Clymenum, Glenum, Therimachum et Creontiadem; Batus ἐν ἀττικῶν ἱςοριῶν secundo Polydorum, Anicetum, Mecistophonum, Patrocleum, Toxoclitum, Menebrontem, Chersibium. Hic vel excidit nomen octavum, vel Pindarus alio modo octo filios recensuerat. (cf. et Tzetz. ad Lyc. 38. p. 8 a.) Tzetzes (l. l.) alios iterum secutus auctores Onitem, Therimachum, Democoontem et Creontiadem nominat; consentit fere Schol. ad Lucian. Dial. Deor. XIII, (II, 40. Bip.), qui Onytem, Theremachum, Democoontem et Creontiadem habet; alter locus ex altero est emendandus. Cf. omnino egregiam Hemsterhusii ad h. l. notam. II, p. 286 Bip. De eorum nece historia valde impedita et ab aliis aliter tractata est atque exornata, praesertim a Tragicis. Qui diligentius in hanc fabulam inquirere cupit, legat Euripidis Herculem furentem, Eustathium ad Homer. Od. XI, 268. p. 1683. Tzetz. ad Lycophr. 38, p. 8, a. — ad 662, p. 74, b. et quos Apollodori interpres laudat ad II, 4, 11, 6. et II, 7, 8, 9. et Sturz. ad Pherecyd. fr. XI, p. 96 sq.

Maioris momenti, imo maximi in hac quaestione, est Herculis e Deianira, Oenei filia, progenies. Tabulam dabo ex Pausaniae mente confectam:



Hercules υ Deianira, Oenei filia
Hyllus
(Glenus)
Butes
Polycaon υ Euaechme
Cleodaeus
Achilles
Aristomachus
(Lanassa υ Neoptolemus)
Pyrrhus
Autesion
Cypselus
Merope υ Cresphontes
Temenus
Aristodemus υ Argia
Duo filii anon.
Aepytus
Eurysthenes
Procles
Cerynes
Phalces
Cisus
Agraeus
Hyrnetho υ Deiphontes
Rhegnidas
(Phlias)
Medon
Antimenes
Argius
Xanthippus
Lacidas
Orsobia υ Pamphylus
Aegimii filius.
Meltas.

Deianiram, Oenei filiam, Herculis uxorem commemorat Pausanias II, 23, 5. p. 164. Hylli matrem fuisse non quidem dicitur, at ex auctoritate reliquorum ipsam inserere non dubitavi. De Gleno s. Glino non definio; de eius matre enim nihil habet Pausanias et omnino de nomine ambigitur. Est locus Paus. IV, 30, 1. p. 353, ubi in ed. Siebel. utraque sic legitur: Ὕλλου δὲ καὶ Δωριέων μάχῃ κρατηθέντων ὑπὸ Ἀχαιῶν, ἐνταῦθα Ἀβίαν Ὕλλου τοῦ Ἡρακλέους τροφὸν ἀποχωρῆσαι λέγουσιν ἐς τὴν Ἰρὴν καὶ οἰκῆσαί τε αὐτόθι, καὶ Ἡρακλέους ἱερὸν ἱδρύσασθαι κ. τ. λ. Vulgata fuerat Γλύνου — Δωριέως; Γλήνου uterque interpres latinus legerat; lectio nunc recepta e Cod. Mosquensi probata est a Facio, Clavierio; idem iam coniecerant Palmerius, Kuhnius, Valckenarius (v. apparatum Siebel.); mox in sequentibus Cod. Mosq. legit Γλήνου τοῦ Ἡρακλέους et verba sequentia (quum haud dubie librarii oculus ab Ἡρακλέους nomine primo aberraret ad secundum) τροφὸν — Ἡρακλέους omittit. E codicibus Vindobonensibus hanc mihi enotavi varietatem: Cod. Hist. Gr. LI sic habet: Γλίνου δὲ καὶ Δωριέως μάχης κρ.; deinde Ὕλλου τ. Ἡρακλ., et mox καὶ οἰκίσαι τὲ αὐτόθι, καὶ Ἡρακλέα. Cod. Hist. Gr. XXIII sic: Ὕλλου δὲ καὶ Δωριέων μάχῃ κρατηθέντων ὑπὸ Ἀχαιῶν ἐνταῦθα Ἀβίαν Ὕλλου Γλήνου τοῦ Ἡρακλέους τροφὸν κ. λ. Equidem vix dubito quin secundo loco Ἀβίαν Γλήνου τοῦ Ἡρακλέους vera sit lectio; fortasse etiam Cod. Vindob. H. Gr. XXIII genuinam scripturam servavit; probus enim est sensus si inserta vocula καὶ legimus Ἀβίαν Ὕλλου καὶ Γλήνου τοῦ Ἡρ. τρ.; τοῦ pro τῶν bene defendi potest; et explicatur hac lectione codicum varietas, quum librariorum oculi vel aberrarent, vel homines parum docti Glenum minus cognitum corrigerent, ut putabant scilicet. De Gleno aliquid scriptum fuisse non est quod dubitemus; quomodo enim lectio orta cogitari posset? Certe Abia, quum Hyllus et Glenus ab Apollodoro (II, 7, 8, 8. p. 229) et a Diodoro Sic. IV, 37 Herculis e Deianira filii perhibeantur, facile utriusque nutrix esse potuit. Apollodorus (l. d. p. 229) e

connubio cum Deianira quatuor recenset filios Hyllum, Ctesippum, Glenum et Onitem; Diodorus Sic. (l. l.) tres Hyllum, Glenum et Hóditem. Onitem Tzetzae ad Lyc. 38, Onytem Scholiastae ad Lucian. Dial. D. XIII et Hoditem Diodori eundem esse plus quam probabile est; ab aliis vero Megarae, ab aliis Deianirae filius perhibetur; idem de Gleno dicendum est.

Hylli occurrunt plures Hercule patre, sed diversis matribus prognati; praeter Deianirae enim filium alius commemoratur Melitae filius, Aegaei filiae, Phaeax. Apollon. Rhod. IV, 537 sqq. Schol. ad Apollon. l. l. et ad 1125. 1149. Etymol. M. s. v. Ὑλήων. Omnino diversus est hic a Deianirae filio, ut praeter genealogiam, tota etiam fabula docet, quam Apollonius narrat loco dicto; male vero confusi sunt a pluribus. Tertius Hyllus, Herculis et Omphalae filius, ab aliis nominatur, de quo conferendus est van Staveren in misc. obss. Vol. X, T. III, p. 383 et Pausan. I, 35, 6. p. 87 c. intpp. De Ctesippi matre disputant. Apollod. II, 7, 8, 8. p. 229 Deianirae est filius; idem (an alius?) Astydamiae filius, Amyntoris a matre nepos, Ap. II, 7, 8, 12. p. 229; porro Astydamiae filius, Ormenii regis nepos, Diod. Sic. IV, 37; denique Astydamiae filius, Phylantis nepos, in Tabula Farnes. l. 66, si lectio recte ibi restituta est; tres ultimo loco nominati auctores in Astydamia matre conveniunt; dissentiunt de Astydamiae natalibus, quam Amyntoris alii, alii Phylantis filiam perhibent. Pausanias Ctesippum habet, sed sine matris nomine, II, 19, 1. p. 152. III, 16, 5. p. 248.

Hyllus, Herculis e Deianira filiorum natu maximus, Jolen duxit, Euryti filiam *) (Apollod. II, 7, 7, 13. p. 225.

*) Monendum est, fabulam de Euryto ab Hercule occiso et Jole rapta Homero omnino incognitam fuisse, ut docent loci Od. VIII, 223 et XXI, 33; et Eustath. ad primum locum, p. 1593, 30 expressis verbis dicit: τὸ μέντοι ὑφ' Ἡρακλέος θανεῖν τὸν Εὔρυτον κατὰ τοὺς ὕστερον καὶ τὰ περὶ τῆς θυγατρὸς τοῦ Εὐρύτου Ἰόλης οὐκ οἶδεν ὁ ποιητής· ἄλλοι δὲ μεθ' Ὅμηρον

Tzetz. ad Lyc. 804. p. 87 b.) liberosque procreavit Cleodaeum et ex Eoearum magnarum auctoritate (Pausan. IV, 2, 1. pag. 282) Euaechmen filiam, quae Polycaoni nupsit, Butae filio. Hic Butes est fortasse Teleontis ille filius, qui inter Argonautas recensetur. Apollon. Rh. I, 95. De Cleodaei nominis forma maxime dissentiunt auctores. Herod. VI, 52 (ubi cf. Valcken.) VII, 204. VIII, 131. Pausan. III, 15, 7. p. 246 et II, 7, 6, p. 127 fin. aliique plures Cleodaeum appellant; Apollodoro II, 8, 2, 6. p. 233 est Cleolaus, quod e priori corruptum est (facilis est permutatio ΚΛΕΟΔΑΙΟC et ΚΛΕΟΛΑΟC.); Cleodemus ab aliis vocatur, quos vide ap. Heynium in Obss. ad Apoll. p. 205; Cleadas audit Schol. ad Pind. Isthm. 7. p. 477, quam formam equidem maxime probaverim, praesertim quum proxime accedat ad formam ab Hesiodo exhibitam, Schol. Apollon. Rh. I, 824.

θεσσάμενος γενεὴν Κλεαδαίου κυδαλίμοιο.

Cleodotus est apud Tzetzam ad Lyc. 804; et plures praeterea aliae occurrunt formae, quas omnes ad unam reducere nolim. Dialecti et traditionis varietas agnoscitur; quidni etiam nominis? A stemmate supra apposito recedit Tzetzes (l. l.), et Hylli stirpem, (utrum errore, an alios auctores mihi incognitos secutus) sic disponit:

Hercules υ Deianira

Hyllus υ Jole, Euryti filia

Lichas Ceyx Cleodotus υ peridea

Temenus aliique.

Generationum consecutionem Hercules — Hyllus — Cleodaeus — Aristomachus — Temenus, Cresphontes et Aristodemus — probatissimi tuentur auctores, in quibus Herodotus et Pausanias; et solus, quantum scio, Tzetzes Temenum Cleodaei filium perhibet. De Peridea, Licha et Ceyce nihil legisse reminiscor; non confundendi enim sunt, Lichas cum puero

αὐτὸ ἱςοροῦσιν, ὧν καὶ Σοφοκλῆς. — **Cf. Sturz. ad Pherec. fr. 46 p. 172 sqq.**

illo ab Hercule furente occiso (Apollod. II, 7, 7, 11), nec Ceyx cum rege Trachyniorum, Herculis hospite (Apd. II, 7, 7, 2). Lanassa, Cleodaei filia, Plut. Pyrrh. 1.

Ex Apollodoro parum solatii hac quaestione petere possumus, quum eius de Heraclidis narratio temporis iniuria et librariorum negligentia omnino turbata sit. Accuratius de loco videamus quum non parvi hoc argumento sit momenti. Maiorem lacunam II, 8, 2, 5. p. 233 post κατῄει esse statuendam cum Heynio, nullus dubito. Desideratur enim Hylli progenies, eius cum Echemo certamen singulare, mors et foedus cum Peloponnesiis ictum; Heraclidarum porro reditus secundus duce Cleolao (Cleodaeo) vel Aristomacho, Argis regnante Tisameno Orestis filio. Secundae huius expeditionis infelix exitus prostat in nostris editionibus; de secunda vero expeditione sermonem esse probant verba καὶ γενομένης πάλιν μάχης, et oraculi mentio (II, 8, 2, 7.) quod ad secundam expeditionem pertinet, Aristomachi denique mors; quibus omnibus mutilum esse locum manifestum fit. Alia difficultate laborant Apollodori verba proxime sequentia (§. 6.): ἐπεὶ δὲ ἠνδρώθησαν οἱ Κλεολάου παῖδες, ἐχρῶντο περὶ καθόδου. De Cleodaei filiis sermonem esse non posse per se manifestum videtur, et ab aliis iam est demonstratum; quae enim narrantur ad Aristomachi filios pertinent. Quae quidem res Heynium commovit ut Κλεολάου tanquam male insertum e contextu eiiciendum putaret «cum οἱ παῖδες nude positum esset, sc. Aristomachi, qui modo fuerat memoratus.» At vix crediderim οἱ παῖδες sic nude poni posse sine patris nomine, vel pronomine αὐτοῦ; quare excidisse potius nomen patris puto et sic lego: οἱ Ἀριστομάχου τοῦ Κλεολάου (s. Κλεοδαίου) παῖδες. — Ne posthac ad hunc locum redeundum sit, de oraculo etiam (§. 7.) quaedam dicturus sum. Locus desperatus est et insanabilis, credo, nisi in codicibus nondum collatis auxilium inveniatur. Bene Heynius in notis crit. difficultates et plures coniecturas exposuit; sed medela eius audacior mihi videtur quam quae probari possit; resecat enim quod sanare non potest. K. O.

Mueller (Dorier I, p 57), rhythmum iambicum his verbis deprehendere sibi visus est, eaque sic disponit:

γενεὰς γὰρ, οὐ-γῆς καρπὸν ἐξεῖπον τρίτον
καὶ τὴν ςενυγρὰν αὖ τὸν εὐρυγάςορα
— ἔχοντα κατὰ τὸν Ἰσθμὸν δεξίαν.

Sed haec dispositio vocabulorum, ut dicam quod sentio, non multum promovere videtur; locus obscurus est, ut erat; rhythmum quidem audio, at sensum non capio. Ne asymbolus abscedam en alia coniectura: καὶ „ςενυγρὰν εὐρυγάςορα“ (sunt verba oraculi) τὴν δεξιὰν κατὰ τὸν Ἰσθμὸν ἐσίοντι θάλασσαν; h. e. ςενυγρὰν εὐρυγάςορα significasse mare quod Peloponnesum intranti a dextra est. Det meliora qui habet.

Aristomachus in proelio contra Tisamenum occisus est, quum secundam expeditionem frustra tentarent Heraclidae. Eius filii tres unanimi consensu appellantur Temenus, Cresphontes et Aristodemus quibus ducibus in Peloponnesum tandem redierunt Heraclidae, terramque ita diviserunt, ut Temeno Argos, Cresphonti Messenia, Aristodemi filiis (nam ipse fulmine ictus antea periisse dicitur) Laconia sorte eveniret.

Temenus quum, posthabitis filiis, Hyrnethus filiae et Deiphontae generi rebus nimium studeret, filiorum insidiis periit *). De Temeni filiis v. Pausan. II, 28, 3. p. 176 f.; Cisus natu maximus fuisse videtur; minimus Agraeus fuit. Rhegnidas, Phalcae filius, Temeni nepos II, 13, 1. p. 140. Cisus s. Casus eiusque filius Medon II, 19, 2. p. 152; reliquos successores non nominat Pausanias praeter ultimos Lacidem et Meltam. cf. K. O. Mueller. Dor. II, p. 108 not. et Siebel. auctar. ad Pausan. l. l. Phliantem, Cisi filium, Te-

*) Apollod. II, 8, 5, 4. p. 239 de hac caede dicit: ὅθεν οἱ παῖδες πείθουσι Τιτᾶνας ἐπὶ μισθῷ τὸν πατέρα αὐτῶν φονεῦσαι. Titanum nomen hoc loco ineptum esse alii monuerunt. Fabro corrigere visum est πείθουσί τινας; Heynio Τιτανίους, e Titanis, agri Sicyonii oppido. Quid si Δυμᾶνας legeremus?

meni nepotem commemorat Pausan. II, 12, 6. pag. 139 ex Argivorum traditione, cui tamen ipse fidem denegat. Quintum Temeni filium habet Hyginus fab. 209 Archelaum qui in Macedoniam se contulit. A Ciso originem deducunt Macedoniae reges et Lagidae Aegypti; sed hoc stemma longius persequi alienum est a quaestione mea. Cf. de hac genealogia Heyne ad Apollod. II, 8, 5, 3 ibiq. laudati, et Herod. VIII, 137 et 139 c. Interpp. Hyrnetho, eius maritus Deiphontes, eorumque liberi, II, 28, 3. p. 176. Orsobiam Pamphylo, Aegimii filio nupsisse dicunt, quod temporum rationi repugnat, quum Pamphylus et Dymas Aegimii filii, Temeni in occupanda Peloponneso socii, antea iam in pugna ceciderant Apollod. II, 8, 3, 5. p. 237. Refert Pausanias relata, iudicium suum non addit. Deiphontae maiores sic recenset Pausanias II, 19, 1. p. 152 Hercules — Ctesippus — Thrasyanor — Antimachus — Deiphontes. Ctesippi mater non ab omnibus eadem perhibetur; fortasse Deianirae filius fuit, de quo supra dixi. In Temeni filiis omnino a Pausania recedit Apollodorus, qui (II, 8, 5, 3. p. 239) ita eos recenset, Agelaum, Eurypylum, Calliam filiamque Hyrnethonem cum Deiphonte genero.

Cresphontes, Aristomachi filius secundus, Messeniae rex, uxorem duxit Meropen, Cypseli Arcadiae regis, filiam (Apld. lib. II. fin. p. 240. Pausan. IV, 3, 3. p. 286. VIII, 29, 4. p. 661), e qua tres suscepit filios. Mox a Polyphonte, itidem Heraclida, cum duobus filiis interfectus est; a tertio natu minimo, Aepyto, apud avum in Arcadia educato Messeniae reges descendunt, quorum seriem Pausanias (IV, 3, 3—10, 4) hoc modo describit:

Cresphontes ∪ Merope — Aepytus — Glaucus — Isthmius — Dotadas — Sybotas — Phintas — { Antiochus — Euphaës, sine prole masc.; Androcles }

Aristodemus, Aristomachi filius tertius, Argeiam duxit Autesionis filiam, Therae sororem, Thebanam, Herod. VI, 52, Pausan. III, 1, 6. p. 205. Apd. II, 8, 2. 9. p. 236. Ex hoc connubio orti sunt Eurysthenes et Procles gemelli, a quibus Laconiae reges descendunt. Duxere sorores gemellas (Paus. III, 16, 5. p. 248) Lathriam et Anaxandram, sed uter utram non patet. Filiae fuerunt Thersandri, neptes Agamididae; Thersander vero gradu quarto distabat a Ctesippo Herculis filio; desideratur igitur unus gradus inter Ctesippum et Agamididam; siquidem is Ctesippus idem est a quo Deiphontes originem ducit (et alium Pausanias non agnoscit); Thrasyanor fortasse Agamididae pater fuit, stemmaque hoc:

Hercules
|
Ctesippus
|
Thrasyanor

Antimachus — **Agamidides**
| |
Deiphontes — **Thersander**

Lathria — **Anaxandra.**

Proclidarum et Eurysthenidarum familias longius persequi supervacaneum videtur, quum hoc caput a viris doctissimis egregie sit dilucidatum et plures iam prostent tabulae, quare mirum fere est, quomodo tabulae tomo secundo Pausaniae a Siebelisio insertae tam parum accurate reddi potuerint; nam correctis etiam iis quae Siebelisius in calce tomi quinti corrigenda enotavit, tanta restant vitia, ut tota tabula recte inutilis dicatur.

Transeamus ad Tlepolemum, de cuius natalibus mire variant auctores, quum in Hercule patre quidem consentiant omnes; at in matris patria, nomine, patre in alia omnia discedant. Homerus Il. II, 657 de Tlepolemo dicit:

ὃν τέκεν Ἀςυόχεια, βίῃ Ἡρακληείῃ
τὴν ἄγετ' ἐξ Ἐφύρης, ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος
πέρσας ἄςεα πολλὰ Διοτρεφέων αἰζηῶν.

Matrem igitur Astyocheam nuncupat, Ephyraeam; utinam

vero placuisset poëtae, patris addere nomen! e qua omissione orta est potissimum confusio, quae turbat hanc quaestionem. Quantus enim coniecturandi campus patebat, in quem evagarentur mythographi et praesertim Heraclearum conditores, quum narratio Homeri parum exacta (dico hoc, recentiorum respectu) et Ephyrae nomen indistinctum facile pluribus locis et Herculis rebus gestis adaptari posse videretur. De Ephyra, ne dissertationis tenor interrumpatur, in excursu singulari in calce huius capitis dicturus sum, ad quem demando lectorem.

Scholiastes ad Pindar. Ol. 7, 42 (qui locus de Tlepolemi matre primarius est) sic dicit: Ὅμηρος μὲν γὰρ αὐτὴν (Tl. matrem) Ἀςυόχην ἀποκαλῶν [καὶ] Ἄκτορος εἶναι θυγατέρα βούλεται. Num ex ingenio suo hanc coniecturam hauserit Enarrator (nam coniecturam esse, per se manifestum est, quum apud Homerum patris nomen desideretur), an ex aliorum auctoritate vel traditione retulerit, non patet; certe non prorsus reiicula est. Recenset enim Homerus Il. II, 512 Ascalaphum et Jalmenum

οὓς τέκεν Ἀςυόχη, δόμῳ Ἄκτορος Ἀζείδαο
παρθένος αἰδοίη, ὑπερώϊον εἰςαναβᾶσα,
Ἄρηϊ κρατερῷ. —

Eandem expressis verbis Pausanias (IX, 37, 3. p. 786) Actoris filiam nuncupat, Azei neptim, Clymeni proneptim; Azeus vero Ergini frater minimus fuit, quocum Herculi res fuit. Aetatem Astyochae, Tlepolemi et Ascalaphi Jalmenique matris egregie inter se convenire in promtu est; minus patria; Tlepolemi enim mater ab Hercule Ephyra abducta dicitur; Actoris vero filia ad Orchomenum in Boeotia pertinet. At quum Ascalaphus et Jalmenus parthenii sint et veteres torum cum Diis communicare non recusarent, nihil impedit quominus Astyochen editis iam filiis Ephyram enupsisse credamus, praesertim quum ex Homeri loco neque virginem fuisse Astyochen, neque Ephyrae natam, colligere possimus.

Alii Phylantis filiam edidere Astyochen, ut Eustath. ad Hom. l. d. p. 315 fin. Apld. II, 7, 6, 1. p. 216. II, 7, 8, 12.

p. 229; Alii iterum Phylantis quidem filiam perhibent Tlepolemi matrem, sed Astyochae nomen non agnoscunt; principem huius opinionis Pherecydem fuisse putaverim, siquidem recte intelligo Scholiastam ad Pind. Ol. 7, 42 (ap. Sturz. in Praef. ad Hellan. frr. pag. XVI): καὶ Ἡσίοδός δὲ Ἀϛυδάμειαν αὐτήν φησι· Φερεκύδης δὲ Ἀϛυγένειαν· ἦν δὲ Φύλαντος θυγάτηρ; ubi ultima verba ad solum Pherecydem refero, ita ut is Tlepolemi matrem Astygeniam appellaverit, Phylantis filiam; nisi Scholiasta ἦν δὲ Φύλαντος θυγάτηρ, opinionem vulgarem secutus, de suo addidit. Diodorus Siculus IV, 36 Tlepolemi avum, omisso matris nomine, Phyleum nuncupat, quod Heynius ad Apd. II, 7, 6. p. 190 f. confusione cum Phyleo Megetis patre, qui (Il. XV, 531) thoracem pro munere hospitii ἤγαγεν ἐξ Ἐφύρης ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος, explicari posse putat, me calculum non adiiciente, quum haec explicatio nimis longe quaesita videatur in argumento, ubi errores et diversitates in prodigiis non censentur. Neque magis Heynii, viri doctissimi, ratio mihi arridet, qua Phylantem veram nominis formam fuisse ex Homero Il. XVI, 180 s. probare conatur, et ex eodem loco Polymelam, Astyochae sororem eruit. Quae quidem affinitas minime foret spernenda; at quum Phylas ille (Hom. Il. XVI, 180 sq.) Polymelae pater, ad Myrmidones pertineat, et non ipse Homerus, sed recentiores demum auctores, Astyochae patrem Phylantem exhibeant, caute in Homeri laudanda auctoritate procedamus necesse est. Mihi certe Phylas Myrmido, Polymelae pater, omnino diversus videtur a patre Astyochae. Sed fruatur quisque sua opinione et quam sibi expetit libertatem aliis concedere ne recuset.

Tertia denique classis eorum est, qui Tlepolemum Astydamia matre ortum tradant. Ordinem ducat Hesiodus (ap. Schol. Pind. l. l.); accedit Pindarus (Ol. 7, 42) et, si vera est Boeckhii ingeniosa suspicio, Acusilaus. Verba sunt Scholiastae (ad Pind. Ol. d. l.): ἔοικε δὲ ὁ Πίνδαρος ἐντετυχηκέναι τῷ Ἀχαιῷ ἱϛοριογράφῳ· ἐκεῖνος γὰρ οὕτω γενεαλογεῖ· Ὑπερόχου Εὐρύπυλος· οὗ Ὄρμενος· οὗ Φέρης· οὗ

Ἀμύντωρ· οὗ Ἀϛυδάμεια ἡ Τληπολέμου μήτηρ. Qui locus, si vere ex Acusilao est excerptus, non improbabili coniectura concludere possumus, etiam ab Hesiodo, cuius vestigia premere solet Argivus, Astydamiae genus ab Amyntore derivatum fuisse. Sed etiam de Astydamia alii alia tradunt; quare praecipuas circa hanc rem diversitates uno prospectu oculis subiicere non inconsultum iudico.

1) Homerus.	2) Schol. Pind. Ol. 7.	3) Apd., Eust. l. d.	4) Pherecyd.
o	Actor	Phylas	Phylas
|	|	|	|
Astyochea	Astyoche	Astyoche	Astygenia
|	|	|	|
Tlepolemus.	Tlepolemus.	Tlepolemus.	Tlepolemus

5) Hesiod.	6) Pind., Acusil. (?)	7) Diodor.	8) Diod. IV, 37.
o	Amyntor	Phyleus	Phylas
|	|	|	|
Astydamia	Astydamia	Δ	Δ
|	|	|	|
Tlepolemus.	Tlepolemus.	Tlepolemus.	Antiochus.

9) Pausan. X, 10, 1.	10) Tab. Farnes. l. 66.	11) Apollod. Diod. IV, 37
Phylas	Phylas	Amyntor
|	|	|
Midea	Astydamia	Astydamia
|	|	|
Antiochus.	Ctesippus.	Ctesippus.

12) Apollod.
Oeneus
|
Deianira
|
Ctesippus.

Certe augeri potuisset hic catalogus; sed satis inde iam patebit quam libere his in rebus evagati sint poëtae aeque ac historiae mythicae scriptores. Tlepolemi uxorem in Πινδάρου ἱϛορίαις (?) se invenisse Philozoën, testatur Tzetzes ad Lycophr. 911. p. 102 a.; Pausanias III, 19, 10. p. 259. Polyxonem nominat Argivam, filiumque commemorat anonymum.

Midea, Phylantis filia (Paus. 1, 5, 2. p. 13. X, 10, 1. p. 821) ab Hercule compressa, Antiochum edidit, cuius progenies ab Apollodoro (II, 8, 3, 2. p. 236) sic enumeratur: Hercules — Antiochus — Phylas — Hippotes, quibus Pausa-

nias (II, 4, 3. p. 120) Aletem addit. Hippotae filium, quo duce Corinthum occuparunt Heraclidae. Consentit Schol. Pind. Ol. 13. p. 112, 2. Phylantis Heraclidae uxor in Eoeis magnis ap. Pausan. IX, 40, 3. p. 794 *) Leipephile appellatur, e qua Hippoten filium et Theronem filiam sustulit, quae ab Apolline compressa Chaeronem genuit. Leipephile vero Jolai filia ibi vocatur. Perspicuitatis causa integrum stemma apponam, qua in re Eoearum et Pausaniae testimonia coniungere licebit:

Amphitruo υ Alcmene υ Jupiter

Automedusa υ Iphicles — **Hercules υ Midea, Phylantis filia**
Alcathi filia

Jolaus — **Antiochus**

Leipephile υ Phylas

Hippotes — **Thero υ Apollo**

Aletes — **Chaeron.**

Automedusa, Alcathi filia, Iphiclis uxor, Jolai mater commemoratur Apollod. II, 4, 11, 7. p. 159. In Chaerone consentiunt cum Eoeis magnis Hecataeus et Hellanicus (Sturz. frr. p. 83) a Stephano Byz. laudati s. v. Chaeronea. Thero, Chaeronis mater, Plutarcho (Sulla c. 17. p. 463) Thuro est, num veriore titulo nescio; ab ea Thuriis Apollinis templum nuncupatum refert. Phylas, Antiochi filius ne confundatur cum Phylante, Mideae patre cavendum est, in quem errorem incurrit Heynius ad Apollodor. II, 7, 8, 12. p. 200, qui iterum Phylantem Myrmidonem huc trahit, et Astyochen, Polymelam et Theronem sorores et Phylantis eiusdem filias perhibet; eodem iure Mideam quartam addere potuisset **).

*) Locus dubiae est lectionis, quare codicum Vindobb. varietatem a me excerptam appono. Cod. Vindob. Hist. Gr. LI sic: κούρην κλητοῦ ἰολάου λεῖπε Φιλήνην. εἶδος ὀλυμπιάδεσιν ὅμοιον. ἱπ-[οι]πήτην (sic) δέ οἱ υἱὸν. Θηρῶ τ' εὐηδῆ. — Cod. Hist. Gr. XIII sic: Φυλαδ' ὤπυιε κούρην κλητοῦ ἰολάου λειπεΦιλήνη. εἶδος ὀλυμπιάδεσσι. ἱππότη δὲ υἱὸν ἐνὶ μεγ. ἔτικτεν.

**) Quod ab ipso factum esse re vera, admiratus iam animad-

Sed haud dubie festinanter haec scripsit vir magnus; nam si accuratius inspexisset Eoearum magnarum versus et Pausaniae locum, statim animadvertisset, Theronem, Phylantis filiam, nullo modo neque Astyochae neque Polymelae sororem, neque Hippotem Mideae fratrem esse potuisse; quod non dico cavillandi studio (longe absit!) sed ne alii auctoritate viri summi in errorem inducantur.

Non praetermittenda est Herculis prosapia e Chalciope, Eurypyli Coi filia. Chalciopae nomen non habet Homerus, fabulam tamen de occupata per Herculem Coorum insula probe iam cognitam habuisse videtur; de Herculis certe in insula Co adventu loquitur Il. XIV, 250. XV, 26 sqq., sed sine Eurypyli nomine; quod tamen invenitur Il. II, 677, ubi Εὐρυπύλοιο πόλιν commemorat, quae haud dubie appellata est ab Eurypylo, Herculis socero. Errasse enim puto Eustathium, qui ad Il. II, 677. p. 318, 34 ab Eurypylo quodam Herculis ex Chalciope filio vocatam tradit. Tota fabula satis exculta iam prostat apud Pherecydem (Schol. Villois. ad Hom. Il. XIV, 255. ap. Sturz. fr. 46. p. 177). Stemma ex Homero hoc est (II, 678):

Eurypylus
|
Hercules υ (Chalciope)
|
Thessalus
Phidippus Antiphus.

Consentit praeter Pherecydem Apollodorus II, 7 init. p. 209. II, 7, 8, 11. p. 229. Hyginus (fab. 97) Chalciopen non Herculis, sed Thessali uxorem perhibet. De Phidippi et Antiphi fatis post bellum Troianum cf. Tzetz. ad Lyc. 911. p. 101 b.; de Eurypyli maioribus exposuit Acesander ap. Schol. Pind. Pyth. IV. pag. 235, qui vero differt ab Apollodoro in

verto. Verba eius ad Apd. II, 8, 3, 2. p. 207 haec sunt: „E Phylantis filia, Midea vel Mide, Hercules susceperat Antiochum, e quo natus hic Hippotes (?). Ex eodem autem Phylante natus quoque erat Hippotes ap. Pausan. II, 4. p. 120 med., Mideae frater.“ Quae quid sibi velint non capio; an mea culpa nescio.

nomine matris Eurypyli (Apd. II, 7 in. p. 209). Sed pertinent haec ad Atlantis stirpem.

Alius Eurypylus e Herculis posteris occurrit apud Homerum Od. XI, 520. Est Telephi filius et (Acusilao teste ap. Schol. ad Hom. l. l., Sturz. frr. p. 220. cf. et Eustath. p. 1697, 30 sqq.) Astyochae, Priami sororis, Mysiae rex; Telephus vero Herculis ex Auge, Alei Arcadis filia, filius perhibetur. De Auge varia traduntur; v. Pausan. VIII, 4, 6. p. 606. VIII, 48, 5. p. 698. Diod. Sic. IV, 33. Apd. II, 7, 4. p. 214. Augen postea Teuthras Mysiae rex, duxit, Telepho Argiopen filiam elocavit, ipsumque regni heredem constituit, ut tradit Diodorus l. d., quod non omnino convenit cum Acusilai narratione. Aliam Telephi ex Hiera prosapiam recenset Tzetz. ad Lyc. 1249 p. 128 Tarchonem et Tyrsenum. Sed ne haereamus his in rebus, monet instituti ratio.

Aliam denique Heraclidarum stirpem, quae silentio non est praetermittenda, Pausanias recenset (II, 6, 3, 4. p. 125) et has quidem generationes: Hercules — Phaestus — Rhopalus — Hippolytus — Lacestadas. Phaestus, de cuius matre non constat, a Pausania Herculis, a Stephano Byz. s. v. et ex eo ab Eustathio ad Hom. Il. II, 648. p. 313, 18, Rhopali filius, Herculis nepos vocatur. Sicyone regnasse et oraculi iussu coloniam inde in Cretam deduxisse, urbemque ibi cognominem condidisse dicitur. Quae quidem colonia valde mihi suspecta est, quamvis a K. O. Mueller probatam video. Commemorat vir doctissimus (Dor. I, p. 79) Phaestum Heraclidam Phaestumque urbem in Creta ab eo conditam laudatis testibus Pausania et Eustath. ad Il. V, p. 520, (ubi tamen nihil de ea re inveni). Alio loco (I, p. 31 sq. not.), ubi de coloniis in Cretam deductis, agit, tertio loco dicit: 3. «Dorier aus dem schon Dorischen Peloponnes — Phaestos von Sikyon —»; quae quomodo conveniant cum verbis eiusdem (I, p. 125, not. 4) «Golgoi in Kypros war von Sikyoniern gegründet, die sonst k e i n e Colonie haben», equidem non video; neque porro quomodo Phaestus e P e l o p o n n e s o iam D o r i c a deducta dici possit, quum haec urbs in

Homeri catalogo (Il. II, 648) iam recenseatur; unde manifestum est, Doricam urbem non fuisse, quum Homero neque in Creta, neque in Peloponneso Dores cogniti sint; nam locus Od. XIX, 174 sqq. a plerisque explosus habetur, quum interpolatio facili opera demonstrari possit. Si igitur ante Bellum Troianum colonia Sicyone in Cretam deducta est, coloni Achaei s. Pelasgi fuerunt, neque vero Dores. Idem de Lycto dicendum est et de Gortyna (Hom. Il. II, 646 sq.), quas item Mueller (I, 32) e Peloponneso iam Dorica deductas iudicat.

At si accuratius paululum Pausaniae locum inspicimus, aliae apparent difficultates. Polybo Sicyonis rege mortuo, successit Adrastus; huic Janiseus, huic Phaestus, huic Zeuxippus, huic Hippolytus, Rhopali filius, Phaesti nepos, quo regnante Agamemnon Sicyonem occupavit, quod factum esse debuit ante bellum Troianum; in hoc ipso bello regnantes videmus Tlepolemum, Herculis filium, Phidippum et Antiphum, eius nepotes, et si verus est Pausanias eodem fere tempore Hippolytum, eiusdem pronepotem; quod quidem per se satis improbabile, filium, nepotem et pronepotem eiusdem hominis, eodem tempore regnasse, hoc argumento magis etiam suspectum fit: Adrastum quarto ante bellum Troianum decennio floruisse, recepta est opinio, quam infra copiosius exponam; iam si expeditionem Agamemnonis contra Sicyonem quarto vel quinto ante Iliacum bellum anno factam ponimus, ab Adrasto florente usque ad hanc invasionem triginta fere habebimus annos, et brevi hoc tempore quinque Sicyonis reges; sed compensat Pausanias imperia ante bellum Troianum contracta in angustum spatium, longinquitate imperiorum post id bellum. Lacestadas enim Hippolyti filius, Phalcen Temeni filium in imperii consortium accipere cogitur; vixit et regnavit igitur integrum quasi saeculum. Rem turbatam esse nemini non apparebit; sed difficile est ordinem restituere. Vindingius Lacestadam Hippolyti non filium sed pronepotem fuisse suspicatur, omisisse autem Pausaniam duas generationes; quae coniectura mihi

ideo minus placet, quod distinctis verbis Pausanias dicit: Ἱππολύτου δὲ ἦν τούτου Λακεςάδης; et praeterea omnibus aliis destituta est testimoniis. Crediderim potius Agamemnonis invasionem ante Hippolytum regnantem factam esse; et si aetates singularum huius stirpis generationum extendimus, ut fas est, temporum ratio satis bene constabit; ab Hercule enim usque ad Lacestadam quinque sunt generationes, usque ad Phalcen sex; quinta vero et sexta generatio commode sibi respondent. Redibimus ad hanc quaestionem in capite de rebus Sicyoniis. —

EXCURSUS DE EPHYRA ASTYOCHAE PATRIA.

De Ephyra, Astyochae patria, multum disputatur, litemque a veteribus inchoatam, vel recentissimis componere nondum contigit, quum in antiquitate iam plures urbes Astyochae natales et Homeri de iis locum ad se referrent. Ab eo plurimum absum, ut litis huius arbitrum me iactem; at quum iteratis studiis veritatem saepe inventam esse, quamvis diu obrutam, probe sciam, arrogantiae crimine contaminari non censeo, si quaestionem, viris doctissimis iam frequentatam, ad examen revocare audeo.

Homerus, a quo tota haec quaestio pendet, pluribus locis Ephyram urbem commemorat, quos omnes ita collectos hic subiiciam, ut eodem numero eos complectar, quibus indubitate de eadem urbe loquitur poëta:

1) Il. XIII, 301 sqq. de Marte et Phobo:

τὼ μὲν ἄρ' ἐκ Θρήκης Ἐφύρους μέτα θωρήσσεσθον,
ἠὲ μετὰ Φλεγύας μεγαλήτορας. οὐδ' ἄρα τώγε
ἔκλυον ἀμφοτέρων, ἑτέροισι δὲ κῦδος ἔδωκαν.

2) Il. VI, 152. 209. Glaucus narrat:

ἔςι πόλις Ἐφύρη, μυχῷ Ἄργεος ἱπποβότοιο,
ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν· — et
— οἵ μέγ' ἄριςοι
ἔν τ' Ἐφύρῃ ἐγένοντο καὶ ἐν Λυκίῃ εὐρείῃ·

3) Il. II, 659. de Astyoche ab Hercule abacta:

τὴν ἄγετ' ἐξ 'Εφύρης, ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος,
πέρσας ἄςεα πολλὰ Διοτρεφέων αἰζηῶν.

et Il. XV, 530. de Megetis lorica:

— τόν ποτε Φυλεὺς
ἤγαγεν ἐξ 'Εφύρης, ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος.

4) Od. I, 257 sqq. Minerva, sub Mentae Taphii persona, de Ulysse:

— οἷόν μιν ἐγὼ τὰ πρῶτ' ἐνόησα,
οἴκῳ ἐν ἡμετέρῳ πίνοντά τε τερπόμενόν τε
ἐξ 'Εφύρης ἀνιόντα παρ' Ἴλου Μερμερίδαο·
ᾤχετο γὰρ καὶ κεῖσε θοῆς ἐπὶ νηὸς 'Οδυσσεύς,
φάρμακον ἀνδροφόνον διζήμενος, ὄφρ' οἱ εἴη
'Ιοὺς χρίεσθαι χαλκήρεας —

Od. II, 328. proci de Telemacho dubitant

ἠὲ καὶ εἰς 'Εφύρην ἐθέλει, πίειραν ἄρουραν,
ἐλθεῖν, ὄφρ' ἔνθεν θυμοφθόρα φάρμακ' ἐνείκῃ,
ἐν δὲ βάλῃ κρητῆρι, καὶ ἡμέας πάντας ὀλέσσῃ.

1) Jam quod attinet ad primum locum, ubi Ephyros sibi cogitaverit Homerus, non patet, et Strabo IX, 442 (662) se nescire *τίνας ποτὲ βούλεται λέγειν* confitetur, quod nos etiam ne incauti procedamus monere debet. Pausanias, qui IX, 36, 2. p. 782 Homeri versus (sed cum lectionis varietate) profert, ad Thesprotiam referendos opinatur Ephyros. Eustathius contra, Pherecydem fortasse secutus, ad Hom. l. d. p. 933, 9 dicit: *οἱ Ἔφυροι ὅ ἐςιν οἱ Κραννώνιοι, ἢ οἱ ἐξ 'Εφύρης τῆς 'Ηπειρωτικῆς Θεσπρωτοί· — οἱ Φλεγύαι, ὅμοροι τοῖς 'Εφύροις ὄντες, ἢ κάτοικοι τῆς ἐν Φωκίδι* (?) *Γυρτώνης κ. λ.* *). Etiam Apollodorum Ephyros de Crannoniis Thessaliae interpretatum esse, docet Schol. ad Il. l. l. (ap. Heyne Apd. frr. p. 429): *νῦν οὖν λέγει τοὺς καλουμένους Κραννωνίους ἐν Θεσσαλίᾳ, ὡς 'Απολλόδωρος ἱςορεῖ.*

*) Excerpsit haec de Phlegyis Eustathius e Pherecyde, ut docet comparatio Schol. Villois. ad Hom. Il. l. l. (ap. Sturz. p. 128); at emendandus est ex Eustathio Scholiastes et scribendum *Γυρτῶνα κατοικοῦντες* pro *Γόρτυναν κατοίκ.*, quod recte Sturzius suspicatus erat.

Tertiam denique opinionem profert Eustathius ad Hom. Od. I, 260. p. 1415, 53, si locus sanus est, ubi enumeratis pluribus Ephyris, quarto loco Aetolicam recenset, καὶ οἱ ἐκεῖθεν Ἔφυροι λέγονται, οὐ μὴν Ἐφυραῖοι, ὡς οἱ ἐκ τῶν λοιπῶν, quae observatio si vera esset, Ephyra etiam Aetolica in partes trahenda esset; sed locum totum corruptum iudico, qua de re, ne ex episodio in episodium evager, sileo; monuisse sufficiat e veterum interpretationibus Ephyros Homeri vel ad Thesprotos, vel ad Thessalos, vel ad Aetolos referri; ad Peloponnesum a nemine. Ex nuda Homeri commemoratione, quum et Phlegyarum sedes antiquissima dubia sit, haec lis componi nequit; libera est coniectura; sed equidem hoc poëtae loco Ephyram Thessalicam deprehendere opinor.

2) Ephyra, Sisyphi sedes, quae est μυχῷ Ἄργεος ἱπποβότοιο, i. e. in Peloponneso, unanimo antiquitatis consensu de Corintho explicanda est, neque est quod ab hac opinione recedamus. Quam urbem illo tempore binominem iam fuisse, inde patet, quod in Catalogo (II, 570) eandem ἀφνειὸν Κόρινθον appellat poëta; quare errare ii videntur qui denominationi urbis antiquissimae (Ephyrae), post reditum demum Heraclidarum nomen recentius Corinthi additum existimant.

3) De Ephyra ad Selleentem fluvium duplicem Strabo refert opinionem, alteram Apollodori, alteram Demetrii Scepsii, cui ipse calculum adiicit. V. Strab. VIII, p. 521 (338), e quo loco corrigendus est alter apud eundem VIII, p. 505 (328); cf. Heyne ad Apollod. frr. p. 422. Apollodorus Homeri in distinguendis urbibus diligentiam laudaturus poëtae versum excitat τηλόθεν ἐξ Ἐφύρης ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος, et vocibus τηλόθεν et ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος Ephyram Thesproticam a ceteris bene distingui docet; at quum hic versus in editionibus nostris non inveniatur, neque ubi excidere potuerit appareat, illum memoriter tantum ab Apollodoro excitatum, ideoque errorem argumentandi commissum esse crediderim. Similes quidem sunt loci Il.

XV, 531 et II, 659; sed ab utroque abest vocabulum τηλόθεν, in quo tamen argumenti nervus versatur. Demetrius contra Scepsius (e quo transscripsit Apollodorus quae commoda visa sunt) Selleentem fluvium in Thesprotia omnino non existere, sed in Elide tantum, docet, probatque Strabo; et nisi fallor eandem tuetur opinionem Thucydides, qui, ubi Ephyram Thesproticam describit (I, 46), ad lacus Acherusii ostia sitam hanc urbem tradit, ita ut fluvium praeterlabentem omnino non habuisse videatur. Quamvis enim Eustathius (ad Hom. Od. I, 260. p. 1415, 52. τρίτη ἐν Θεσπρωτίᾳ, ἔχουσα καὶ αὐτὴ Σελλήντα ποταμόν) expressis verbis Ephyram Thesprotiae Selleentem praeterfluere doceat, alioque loco (ad Il. II, 659. p. 316) Ephyras omnes, certe fere omnes, Selleentem habere praeterlabentem; recte tamen praevalet Demetrii, Strabonis et Thucydidis auctoritas, praesertim quum satis pateat, omnes Ephyras, quae ad honorem adspiraverint ab Homero commemorari, Selleentem etiam fluvium sibi adsciscere debuisse. Sic igitur recentiores Heraclearum auctores vel ipsi Cichraei, ut gloriolam sibi vindicarent destructae ab Hercule urbis, Selleentem fluvium sibi affinxerunt.

Thesprotia Homero omnino terra incognita fuisse videtur certe nullum vestigium invenitur rerum ab Hercule circa has regiones gestarum; quam fabulae formam recentioribus debemus, qui in remotissimas quasque terras abducebant heroëm, ut totum fere orbem terrarum complecterentur et gloria eius implerent. Hoc maxime modo factum est, ut praetermissa Ephyra propinquiore, remotissimam praeferrent, de antiquissima fabulae forma et geographia parum curiosi; ne autem connexus et causa desit, expeditionem contra Ephyram ab Aetolis susceptam Hercule duce commenti sunt. Contra quamnam Ephyram? contra Aetolicam haud dubie, cuius subactae ab Aetolis fama facile traditione conservari potuit; — neutiquam, contra Thesproticam illam longe dissitam; quae quidem expeditio tum temporis prodigii simil-

lima fuisset. Quare missa Thesprotia de Peloponnesiaca Ephyra videamus.

In Elide Ephyram habemus et Selleentem fluvium praeterlabentem, indubitata auctoritate comprobatum. Urbem sub Augeae ditione fuisse ex ipsa eius positione concludere possumus. Jam quidem Herculis contra Augeam expeditiones ab Homero expressis verbis non commemorantur; at plura supersunt vestigia unde perspicere possimus, ipsi hanc rem iam innotuisse, v. g. Phylei contra Augeam patrem ira et fuga, divisum cum Molionidis et Amaryncео imperium (II, 620 sqq. 629), quibus adiungere non dubito plures illas urbes ab Hercule devastatas, in quibus et Ephyra ad Selleentem. Sic mihi omnia egregie cohaerere videntur, et rerum gestarum ordini adaptata. Porro cum rerum natura multo melius convenire puto, Phyleum loricam hospitalitatis donum Ephyrae Elidis accepisse, quam in Thesprotia. Saepius certe Ephyrae commoratus est, Elidis urbe, quae vel in ditione patris vel in societate fuit; at quid rei egerit in Thesprotia plane non apparet, neque prostant testimonia vel levissima, illum remotas illas terras unquam visitasse. Addere non dubito Homeri versus: Πουλυδάμας δ' Ὦτον Κυλλήνιον ἐξενάριξεν Φυλείδεω ἕταρον, μεγαθύμων ἀρχὸν Ἐπειῶν. Il. XV, 518 sq., unde amicitiam et hospitalitatem cum alio Epeorum duce Megeti fuisse perspicimus. cf. Pausan. VI, 26, 3. pag. 518 f. Quibus rationibus commotus et auctoritate Demetrii Scepsii et Strabonis confirmatus, equidem Ephyram et Selleentem Homeri in Elide quaerendum esse nullus dubito, neque absterrere me potuit Muelleri iudicium (Dorier I, p. 418): «Strabons Meinung, dass in Homer und der Sage von Hercules Ephyra in Elis zu verstehen sei (7, 328. 8, 338), wird durch die Stellen des Dichters selbst widerlegt», quum pro meo ingenii acumine nullo modo videam qua in re Homeri versus Strabonis opinioni repugnent. Dum haec res clarius non docetur, Strabonis opinionem egregie cum poëta convenire persuasus ero

4) In Odyssea bis Ephyra commemoratur, tanquam ve-

nenorum fabrica. Ulysses Ephyra rediens ab Ilo Mermerida ad Taphiorum insulas devertit; Taphios vero Homeri in insulis et continenti ad Acheloi ostia consedisse, ab aliis est monstratum et ea sola re probatur, quod Taphii Temesam proficiscentes in Ithacam insulam devertunt (Od. I, 180 sqq.). Sequitur inde hanc Ephyram in Peloponneso sitam fuisse; sed quaeritur, Corinthusne fuerit, an alia illa ad Selleentem sita. Etiam in hac re non toleranda cernitur confusio. Eustathius ad Hom. Od. II, 338. p. 1448, 29 dicit: — *ἀπὸ Ἐφύρης τῆς προϊςορηθείσης, τῆς διὰ Μήδειαν πολυφαρμάκου, ὡς ἱςορεῖ Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος*; verba *τῆς προϊςορηθείσης κ. λ.* referenda sunt haud dubie ad Od. I, 260. p. 1415, 54 ubi sic legendum et interpungendum est: *πέμπτη Ἔφυρα Θετταλική, ἕκτη Κόρινθος, ἐν ᾗ καὶ αὐτῇ Σελλήεις ποταμός· ἐκ ταύτης φασί τινες τὸν Ὀδυσσέα λαβεῖν ἀνδροφόνα φάρμακα, λέγοντες φαρμακοφόρον ποτὲ γενέσθαι αὐτὴν διὰ τὸ ἐκεῖ κατοικῆσαι τὴν Μήδειαν.* Sequitur: *ὅθεν καὶ ἡ τοῦ Αὐγέου θυγάτηρ φασὶ τοῦ βασιλέως τῶν Ἐπειῶν ἡ ἐν Ἰλιάδι κειμένη Ἀγαμήδη φαρμακὶς ἦν*; quae quomodo cum antecedentibus cohaereant, equidem non video; egregie vero quadraret haec observatio si de Ephyra Elia locutus fuisset Enarrator, (ad Elidem enim pertinet Agamede. Il. XI, 740), quare excidisse ante *ὅθεν* lineam suspicor. Apollodorus igitur, Ephyram nostram de Corintho interpretatus est, neque me in alias partes trahit Heynii viri doctissimi auctoritas, qui ab Apollodoro Thesproticam intellectam autumat (ad Apd. frr. p. 429), et locum hunc Apollodori de Ephyra valde disertum. Verum quidem est, Scholium a M. G. Muellero editum egregie firmare viri clarissimi opinionem; sed si comparamus Apollodori ipsius narrationem I, 9, 28, 3 sq. p. 108, quam male illud scholion conveniat, cuique apparebit. Erravit fortasse Scholiastes in laudanda auctoritate; hoc certe constat, eundem ipsi ante oculos fuisse auctorem, qui Eustathio p. 1416, 2 sqq., et non defuisse qui ad Thesprotiam referrent hanc Ephyram. Qui primus id fecerit, mihi non patet; erat quum

crederem, Naupactiorum auctorem hanc invenisse fabulam. In illis enim tradebatur, Jasonem post Peliae mortem in Corcyram migrasse, ibique Mermerum filiorum natu maximum in continenti venantem a leaena laceratum esse (Pausan. II, 3, 7. p. 118 f.); sed ex his non hausisse neque Eustathium neque Muelleri Scholiastam, iam ideo mihi persuadeo, quod in constituendo stemmate differunt; Homeri enim Enarratores Ilum Mermeri filium, Pheretis nepotem, Jasonis et Medeae pronepotem perhibent; in Naupactiis vero Φέρητι οὐδέν ἐςιν ἐς μνήμην προςκείμενον, Pausania teste. Utut autem haec res se habeat; recentior tantum fabula, Ilum Mermeridam a Jasone derivat et in Thesprotiam ablegat; Homerus Mermeri patrem reticet, sedem vero ipsi adsignat urbem Peloponnesiacam, sive Corinthum, sive, quod mihi magis arridet, Ephyram Eliam, quamvis de hac veterum nemo intellexisse videatur, nisi, quod supra suspicatus sum, interciderunt quaedam apud Eustathium p. 1415; idem vero p. 1448, 34 repetit: Ἐφύρην δέ φασι τὴν ἐν Θεσπρωτία λέγει, οὐχ ὡς ἔνιοι τὴν Κόρινθον.

Tres igitur Homerus novit Ephyras; primam Thessalicam; secundam Corinthum, tertiam Eliam ad Selleentem fluvium, ab Hercule devastatam, Astyochae, Tlepolemi matris, urbem patriam.


PARTIS PRIMAE

CAPUT SEXTUM.

AMYTHAONIDAE.

Amythaonis familia quamvis aliena ab Inachidis, quum ad Aeolidas pertineat, tamen a reliqua stirpe separata, hoc loco tractanda videtur, quum in imperii Argivi consortionem adsciti Amythaonidae communicatum haberent regnum cum Proetidis; quare ne in Argolidis historia haereamus, Amy-

thaonis posteros hoc capite expositurus sum, de maioribus, eorumque historia tum dicturus, ubi ad Aeolidas pervenero. — Chorum ducat is penes quem est maxima auctoritas et quasi causae arbitrium, divinus Homerus, qui luculenter Melampodis genus describit, Od. XV, 225 sqq.



Melampodis patrem Amythaonem, et avum avamque Cretheum Aeolidam et Tyronem Salmonei filiam nuncupat Homerus Od. XI, 235—260. Quod attinet ad aetatem filiorum Melampodis, haec tenenda sunt: Antiphates natu maior fuit, et neque Oicles neque Amphiaraus longaevi (quod de Amphiarao expressis verbis dicit poëta *οὐδ' ἵκετο γήραος οὐδόν.* 246); Polyphides enim, qui gradu tertio descendit a Melampode, vates inclaruit, quum Amphiaraus, qui gradu quarto ab eodem derivatur, bello Thebano iam occubuisset (*ἐπεὶ θάνεν Ἀμφιάραος*, 253); Alcmaeonis vero Amphilochique et Theoclymeni aetas ultra belli Troiani finem protenditur; Clitus secundum Homeri narrationem iuvenis admodum et sine prole decessisse videtur:

ἀλλ' ἤτοι Κλεῖτον χρυσόθρονος ἥρπασεν Ἠώς
κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη.

Quae dicendi forma, ut inter omnes constat, mortem praematuram significat, quod recte Eustathius observat, ad Od. l. d. p. 1780, 50: *τὸν δὲ πρὸ ὥρας θανεῖν δοκοῦντα Κλεῖτον περικαλλέστατόν φησιν.* Amphiarai uxorem recenset Homerus Od. XI, 326 *στυγερὴν Ἐριφύλην, ἣ χρυσὸν φίλου ἀνδρὸς ἐδέξατο τιμήεντα.* Alcmaeon et Amphilochus, eius filii, laudato Odysseae loco memorantur; in Iliade, quod mireris, neque in catalogo neque in reliquo, quantum reminiscor, carmine occurrunt, quod eo magis notandum est,

quod Amphilochus certe bello Troiano interfuisse a Thucydide (II, 68) traditur. Polyphides, vates egregius et post Amphiarai mortem Apollinis beneficio optimus, quum patri irasceretur (causam reticet poëta) Hyperesiam secessit (quae Achaiae urbs Aegira postea vocata est Pausan. VII, 26, 2. p. 591), ibique habitans omnibus vaticinia edidit (— μαντεύετο πᾶσι βροτοῖσι —); ab eo oriundus est Theoclymenus, qui hereditariam hac familia vaticinandi artem a patre accepit, et quum ob caedem propinqui cuiusdam (— ἄνδρα κατακτὰς ἔμφυλον. 273. —) e terra Argiva profugus, Pylum, antiquam in patriam familiae, abiisset, benigne a Telemacho receptus et Ithacam abductus est. Ceterum Θεοκλῆς, Θεόκλος, Θεοκλύμενος vatum fuisse nomina, Siebelisio observatum est ad Pausan. III, 13, 2.

Euchenor ab omnibus accensetur Melampodidis, quamvis in eius stemmate describendo maxime differant auctores. Homerus Il. XIII, 663 Polyidi filium nuncupat, in quo multos habet assentientes, quamvis Polyidi genus alii aliter deducunt. Incidit mihi suspicio, Polyidum Iliadis et Polyphidem Odysseae eundem esse, quorum nomina dialecto tantum et pronuntiatione differant. In terminatione nemo haerebit, quum Iphiclus et Iphicles, Patroclus et Patrocles, Theoclus et Theocles, et sexcenta alia exempla hanc permutationem satis comprobent. In reliqua nominis scriptura variant vel auctores, vel librarii, quum alii Πολύειδος, alii Πολύιδος exhibeant. Mihi prima forma, (de qua cf. Heyne not. crit. ad Apd. III, 3, 1, 4) praeferenda videtur, quippe quae pluribus nititur auctoritatibus et propius accedit ad alteram formam Πολυφείδης. Vatem celeberrimum fuisse Polyphidem, et consultum ab hominibus, vaticinia edidisse omnibus, poëta tradit Od. XV, 255; at in tota antiquitate nullum quantum scio Polyphidis commemoratur vaticinium, nulla lustratio; plura vero Polyidi oracula memoriae tradita sunt. Sic v. g. a Bellerophonte consulitur, Pindar. Ol. 13, 105. ib. Schol.; — a Minoë de Glauci morte Apd. III, 3, 1, 4. p. 251. Tzetz. ad Lyc. 811. p. 88 b.; — ab Iphito Euryti filio

Oechaliensi, Pherecyd. ap. Schol. Hom. Od. XXI, 23. ap. Sturz. p. 172 *); — Alcathous ab eo lustratur, Pausan. I, 43, 5. p. 104. Quibus omnibus si addimus Polyidum, Euchenoris patrem et ipsum vatem egregium ab Homero appellari, haud improbabilis videtur opinio, Polyidum et Polyphidem eundem esse; neque est quod haereamus in temporum difficultate, quod nempe Polyphides neque Minoi neque Bellerophonti aequalis dici possit; quod quidem est verissimum; at num Polyidus, Coerani filius id potest? Non magis huic opinioni repugnat, quod Euchenor, Polyidi filius, Corinthi habitasse dicitur (Il. XIII, 664), Polyphides vero Hyperesiae (Od. XV, 254); nam etiam Theoclymenus, Polyphidis filius, φεύγων ἐξ Ἄργεος ad Telemachum pervenit. (Od. XV, 224.)

Hoc loco statim subiiciam tabellam de Polyphidis progenie e Pherecydis sententia confectam; v. Schol. Hom. Od. XV, 223, ap. Sturz. fr. 77 p. 211

Mantius
|
Polyphides ∪ Sariusa
Harmonides Theoclymenus.

Aliam e Pherecyde genealogiam servatam debemus Scholiastae ad Hom., in editione Heynii T. VI, p. 648, quod fragmentum in Sturzii collectione desideratur; ex eodem fonte Eustathius haud dubie rigavit hortos suos, ad Hom.

*) Fortasse hoc Scholiastae loco pro Πολυΐδου δὲ τοῦ μάντεως εἰπόντος legendum est: Π. δ. τοῦ Μαντίου s. Μαντείου εἰπ.; eadem diversitas lectionis apud eundem Pherecydem occurrit, ap. Schol. Od. XV, 223, ubi alii legunt Πολυφείδης ὁ Μαντίου, alii ὁ Μαντείου, alii ὁ μάντις. Non semel hac stirpe Mantii nomen proprium confusum est cum nomine appellativo μάντις. Sic v. g. ap Tzetz. ad Lycophr. 439. p. 53 a. habet: ὁ Ἀλκμαίωνος (ἀδελφὸς) Ἀμφίλοχος ὁ τῆς Ἐριφύλης — καὶ Ἀμφιάρεω τοῦ μάντεως παιδὸς παῖς, ubi Nic. Gerbel., ut clarior fiat sententia, παιδός eiiciendum putat. Fortasse τοῦ μάντεως potius mutandum erit in τοῦ Μαντίου, quamvis hunc Amphiarai non patrem sed avum appellari inveniam.

Il. XIII, 663. pag. 953, 56. Si utriusque fragmenti stemmata coniungimus, haec est tabula:

Melampus
|
Mantius
Sariusa ∪ Polyphides — Augeas — Clitus
Sariusa ∪ Polyphides: Harmonides, Theoclymenus
Augeas | Phyleus | Eurydamia
Clitus | Coeranus | Polyidus
Eurydamia ∪ Polyidus: Euchenor, Clitus.

Examinemus hanc genealogiam per se spectatam. Linea Melampus — Mantius — Polyphides — Theoclymenus ex Homero desumta est; unde vero Sariusam et Harmonidem habeat Pherecydes, quum de iis nihil praeterea traditum invenerim, definire non audeo; id autem constare videtur, temporum non satis diligenter habitam esse rationem hac tabula. In narranda enim Theoclymeni historia cum Homero concinit mythographus, ipsumque cum Telemacho de patre sciscitante decimo post bellum Troianum anno convenisse tradit; descendit vero a Mantio gradu tertio, ita ut a nato Mantio usque ad decimum post Troiam eversam annum unius fere saeculi spatium computare possimus. Euchenor decimo anno belli Troiani ab Alexandro occiditur, quum antea iam Epigonorum bello interfuisset; a Troia capta usque ad bellum Thebanum secundum viginti quasi sunt anni; cui si vicenarium interfuisse ponimus, Euchenorem decimo belli Troiani anno, quo occisus est, quadragenarium fuisse iusto calculo demonstratum erit; et quum gradu quinto a Mantio descendat, ab hoc usque ad Troiam eversam (s. ad Euchenorem occisum) centum et quadraginta; et usque ad decimum annum post id bellum centum quinquaginta annos habebimus; quae computationis differentia maior videtur quam quae ferri possit. Polyidus, Euchenoris pater, (senex quum in bellum proficisceretur filius. Hom. Il. XIII, 666) Eurydamiam duxit Phylei filiam, Augeae neptim, quae quinquagesimo fere anno ante belli Troiani initium nata putanda esset. Fuit igitur

Euchenor Augeae pronepos; itaque affinitatis vinculo iunctus cum Megete et Polyxeno, quorum alter Dulichii, alter Elidis rex expeditioni Iliacae interfuit; at memorabile videtur, Euchenorem, Augeae pronepotem quadragenarium, et Polyxenum, eiusdem Augeae nepotem iuvenem quasi ante Troiam pugnasse, nisi nimis argute a me urgeri Pausaniam dicat aliquis, qui V, 3, 5. p. 380 Polyxeno e bello reduci Amphimachum natum tradit. Ab Homero eo maxime recedit Pherecydes, quod Cliti progeniem hic recenset, quam ille agnoscere non potuit; quam ob causam praeferenda mihi videtur Pausaniae ratio, qui (ut uno quasi tenore hanc lineam absolvamus, eius stemma hoc loco insero) Euchenorem a Melampode quidem, neque vero a Clito derivat. Vide eius descriptionem I, 43, 5. p. 104. En tibi tabulam:

Melampus
|
Abas
|
Coeranus
|
Polyidus

Astycratea — **Manto** — **Coeranus**
|
Euchenor.

Non uno articulo haec Pausaniae genealogia ab ea recedit quam e Pherecydis sententia exposui. Abas, Melampodis filius, Apollodoro etiam commemoratur I, 9, 13, 1 cum Lysimache filia, quae Talao nupsit, et Schol. ad Apollon. Rhod. I, 139. De eodem Apollonius Rhod. I, 142 loquitur et Orph. Argon. 188, ubi hoc invenimus stemma:

Abas ∪ Antianira ∪ Apollo
|
Idmon, Argonauta.

Si Idmon ab altero Arognauticorum auctore Ἄβαντος παῖς νόθος, ab altero Ἄβαντος οὐκ ἐτήτυμος appellatur, hoc sensu vulgari non est accipiendum; proprie enim νόθος significat filium pellice natum; Idmon Apolline et Antianira Pheretiade (id est Pheris nata) natus ab Abante posthac adoptatus est κυδαλίμοις ἐναρίθμιος Αἰολίδῃσι; haud dubie

igitur Antianira iusta Abantis coniux fuit. Sed omnino Idmonis haec natalia fabulae recentiori adscribenda sunt, me iudice, quippe quae Idmonem vatem cum celeberrima Melampodidarum familia coniungere voluit. Diversa plane de Idmone tradit Pherecydes ap. Schol. Apollon. Rhod. I, 139 (ap. Sturz. p. 170 ubi videatur) qui eius genus sic describit:

Apollo υ Asteria, Coroni filia
|
Idmon υ Laothoë
|
Thestor
|
Calchas.

Abantis filium nominat Schol. Pind. Pyth. 4 et Herodorus ap. Schol. Apollon. Rh. l. d., ubi etiam docemur, ex Chamaeleonis sententia Idmonem et Thestorem eundem esse diverso tantum nomine. De Astycratea et Mantone, Polyidi filiabus nihil legisse memini; in hac vero generationum consecutione: Coeranus — Polyidus — Coeranus — Euchenor — vitium latere vix dubito, sed librarii potius quam Pausaniae, quum hic ordo non solum omnibus reliquis repugnet, sed etiam temporis rationem haud mediocriter turbet. Quare Pausaniae locum I, 43, 5 fin. p. 104 fin. nominum transpositione hoc fere modo restituendum putaverim: ἕτερον δὲ Διονύσιον Δασύλλιον ἐπονομάζοντες Εὐχήνορα τὸν Πολυείδου τοῦ Κοιράνου τὸ ἄγαλμα ἀναθεῖναι λέγουσι.

In recensenda Melampodis prosapia usque ad Amphiaraum omnino cum Homero consentit Scholiasta ad Pindar. Nem. 9, quamvis in rerum gestarum narratione alios auctores sequitur. In Apollodori Bibliotheca descriptionem familiae Melampodis desideramus, auctoris negligentia an temporum iniuria nescio. E dispersis locis hoc fere stemma componitur, siquidem eosdem ubique auctores secutus est:

Amythaon ∪ Idomene, Pheretis s. Abantis filia

Bias — Aeolia — Melampus ∪ N. Proeti filia

(Thestius | Hypermnestra) ∪ Oicles (son of Aeolia) — Abas

Abas: (Coeranus | Polyidus) — Lysimache ∪ Talaus

Amphiaraus ∪ Eriphyle Talai filia

Amphilochus — Arsinoë Phegei filia ∪ Alcmaeon ∪ Callirrhoë, Acheloi filia

Acarnan — Amphoterus.

In Amythaonis uxore sibi non constat Apollodorus; Idomenen vocat, sed alio loco (I, 9, 11, 2. p. 71) Pheretis, alio II, 2, 2, 4. p. 129) Abantis filiam. Mihi unice prima ratio probatur, quia cum Abantis filia connubium omnem temporis ordinem turbat (qua de re supra quaedam dixi), Pheretis autem filia et temporis et historiae tenori melius convenit, quum Amythaon e Thessalia in Peloponnesum immigraverit vel ipse, vel, Diodoro Siculo teste (IV, 68) eius filii. Nequaquam vero, his concessis, historiam huius familiae omnino explanatam et quasi ad dilucidum redactam esse affirmaverim; ea contra Amythaonidarum indoles esse videtur, ut difficillime reliquis stemmatibus adaptentur, eorumque tabula vix cum ulla alia quadret, sive generationum gradus spectes, sive cum aliis familiis affinitates; quam confusionem et desperatam quasi perturbationem Tragicis esse imputandam vix est quod dubitemus; num vero rei gestae formam genuinam restituere et e tanta fabularum messe pristinam historiae adumbrationem extricare nostri moliminis sit, ii videant, quibus ignotum non est, omnes huius cycli tragoedias periisse, Pherecydis aliorumque veterum mythographorum scripta ad nos non pervenisse, neque Pausaniam, neque Apollodorum, neque Diodorum, neque Eustathium, neque aliam denique enarratorum turbam ea, qua debuissent religione, fontes indicasse, unde hauserint, ita ut quid hi-

storica quadam traditione sancitum, quid a poëtis refictum, additum, omissum sit, humana sagacitas distinguere posse non videatur.

Quamnam Proeti filiam duxerit Melampus ex Apollodoro non patet; e Pherecydis sententia (ap. Schol. Hom. Od. XV, 225) Iphianassa fuit, quam et ipse Apollodorus commemorat II, 2, 2, 1. p. 128. Abas, Melampodis filius, illiusque filia Lysimache, quae Talao nupsit, occurrunt I, 9, 13, 1. p. 76. — Coeranus cum Polyido filio, III, 3, 1, 4. p. 251. Quum Coerani pater non nuncupetur, parentheseos signo notavi. Alium Melampodis filium non commemorat Apollodorus, quare Heynius in Tabula sua (Tab. IX f.) ex Homero Antiphatem vel e Pausania Mantium inserendum putat. Equidem consultius duxi, lacunam non complere, sed circulo tantum indicare excidisse generationem, quamquam ne id quidem extra dubium positum sit, quum apud Eustathium (ad Hom. Il. II, 566. p. 288, 26) Jocles (s. Oicles) Melampodis filius, Amphiarai pater perhibeatur. Hypermnestra, Thestii filia (I, 7, 10. p. 51) Oiclis uxor appellatur, a Pausan. II, 21, 2. p. 158 et Diod. Sic. IV, 68, quare in tabulam inserui; historiae tenore egregie comprobatur. De Eriphyle, Amphiarai uxore, II, 9, 13 multisque aliis locis; de Alcmaeone et Amphilocho, Amphiarai filiis, III, 7, 2, 5. p. 293; de Alcmaeonis uxoribus filiisque III, 7, 5, 3 sqq. p. 295 sqq. Alcmaeonem e Mantone, Tiresiae filia, Amphilochum filium et Tisiphonen filiam procreasse, ex Euripidis fabula addit Apollodorus III, 7, 7, 2. p. 299. Ex eodem haud dubie fonte hausit Tzetz. ad Lycophr. 440. p. 53 b. et ad 980. p. 108 a. Fabula recentior esse videtur, quamvis e confusione duorum Amphilochorum turbas ortas esse negari nequeat. Redibimus ad hanc quaestionem parte huius libelli secunda. — Aeolia Amythaonis filia, Calydonis uxor, Apd. I, 7, 7, 2. p. 49.

Pergamus ad Diodorum Siculum, qui IV, 68 huius familiae genealogiam exhibet, quae pluribus in rebus a reliquis recedit, et memorabilis est affinitatibus quibusdam, mi-

nime spernendis, quibus historiae familiae lux quaedam affunditur. Tabula haec est:

Amythaon υ Aglaia

Bias — Melampus υ Iphianira, Megapenthis filia

Hippocoon

Zeuxippe υ Antiphates — Pronoë — Abas — Mantius

Amphalces — Oicles υ Hypermnestra, Thestii filia

Iphianira — Polyboea — Amphiaraus.

In linea recta cum Homero convenit Diodorus a Melampode usque ad Amphiaraum; sed ex aliis fontibus addit singulorum connubia et numerosiorem prolem. Melampodi, cuius uxorem Iphianiram perhibet, Megapenthis filiam, praeter Mantium et Antiphatem, liberos assignat Abantem et Pronoën. Apud Diodorum quidem Βίαντα legitur, sed Ἄβαντα esse restituendum monuere critici. Nec rara est horum nominum confusio. Sic v. g. apud Orpheum in Argonauticis 149 Talaus, Areius et Leodocus vocantur Ἀβαντιάδαι, quum Βιαντίαδαι sint, nisi Abantiadas nominatos malis tanquam Argivos, uti Pindarus Pyth. 8 Ἄβαντος ἀγυιάς nominat Argorum urbem, et Pausanias VII, 17, 3. p. 565 Amphiaraum et Adrastum Phoronidas. cf. etiam Steph. Byz. s. v. Ἄργος. Aliud exemplum habemus apud Scholiastam ad dictum Pindari locum, ὅτι Ἄβας ὁ Λυγκέως ὁ Ταλαοῦ πατήρ, quibus in verbis non nominum tantum, sed hominum etiam est confusio; confunditur enim Abas Lyncei filius cum Biante Talai patre. De Antiphatis uxore, quam Zeuxippen appellat Diodorus, mihi non liquet; Hippocoontis Spartani filia vix esse videtur, quum temporum ratio non constet. Hippocoontis enim filia quinquaginta fere annis ante bellum Troianum vixit (quod alio loco probabitur); quomodo igitur tandem Amphiarai ava esse potuisset, qui tricesimo ante id bellum anno diem obiit? Vel alius itaque Hippocoon intelligendus est, vel auctorem secutus est Diodorus non nimis sincerum. Egregie contra cum historia convenit Hypermnestra,

Thestii filia, Oiclis uxor, qua affinitate historia stirpis Oicleae haud mediocriter illustratur, ut in parte secunda videbimus. De Pronoë, Amphalce, Iphianira et Polyboea nihil legisse memini.

Procedamus denique ad Pausaniam, e cuius locis dispersis hoc constituitur stemma:

Amythaon
Melampus — Bias
(Melampi filii:) Abas — Mantius
(Mantii filius:) Oicles ∪ Hypermnestra
(eorum filius:) Amphiaraus ∪ Eriphyle, Talai filia
Polynices
(Polynicis filius:) Thersander ∪ Demonassa — (Alcmene) ex Asio — Eurydice — Amphilochus
(Thersandri filius:) Tisamenus
Alphesiboea ∪ Alcmaeon ∪ Callirrhoë, Acheloi filia
Phegei filia
(Alphesiboeae et Alcmaeonis filius:) Clytius — (Alcmaeonis et Callirrhoës filii:) Acarnan — Amphoterus.

Amythaonis genus usque ad Clytium describitur a Pausania VI, 17, 4. p. 494; et frustra mea quidem sententia, Palmerius, ut Pausaniam cum Homero in concordiam redigeret, huius loci lectionem tentavit, et sic legendum esse proposuit: Μελάμποδος γὰρ ἦσαν τοῦ Ἀμυθάονος Μάντιος καὶ Ἀντιφάτης, τοῦ δὲ Οἰκλῆς . . .; hoc sane modo Pausanias cum Homero concineret; at quis tum mutandi erit finis? Alios auctores ea in re secutus est Pausanias; quid in eo mirum? quid singulare? atqui si admittimus Palmerii coniecturam, cui bono Pausanias Mantii addidisset mentionem, quum Clytii repeteret originem, quocum Mantius ex hac lectione nihil rei habuit, ita ut mentio eius prorsus supervacanea habenda sit. Quare salvam habebimus Pausaniae lectionem, usque dum secus esse probabitur. Hypermnestra, Oiclis uxor commemoratur II, 21, 2. p. 158, quae quum Thestii Aetoli filia nuncupetur a Diodoro, recte Tyndaridae a Pausania III, 12, 4. p. 236 Amphiarai ἀνεψιοὶ vocantur, quo-

rum mater Leda eiusdem Thestii filia fuit. Eriphyle, Talai filia, Amphiarai uxor V, 17, 4. p. 420; ibidem de Eurydice et Demonassa, quae Thersandro nupsit IX, 5, 8. p. 723; quibus Amphiarai filiabus, Asius Alcmenen addit tertiam, V, 17, 4 p. 420. Amphiarai filiorum Alcmaeon fuit natu maximus, Pausan. X, 10, 2. p. 822; idem docet arca Cypseli ubi repraesentata erat Amphiarai domus, καὶ 'Αμφίλοχον φέρει νήπιον πρεσβύτις ἥτις δή; ante portam erat Eriphyle, et Eurydice, Demonassaque καὶ 'Αλκμαίων παῖς γυμνός (Pausan. V, 17, 4. p. 420). Alcmaeonis uxorem primam Pausan. VIII, 24, 4. p. 646 Alphesiboeam nominat, filiumque quem ex ea sustulit, Clytium (VI, 17, 4. p. 494) itidem vaticiniis insignem, qua arte etiam progenies eius inclaruit, unde Eperastus (l. d.) gloriatur, esse de genere ἱερογλώσσων Κλυτιδᾶν, ἀπ' ἰσοθέων αἷμα Μελαμποδιδᾶν; ita ut non immerito dicat Hesiodus (ap. Nicol. Damasc. in Excerpt. Vales.):

'Αλκὴν μὲν γὰρ ἔδωκεν 'Ολύμπιος Αἰακίδῃσι,
Νοῦν δ' 'Αμυθαονίδαις, πλοῦτον δέ περ 'Ατρείδῃσι.

Secundo connubio, superstite adhuc Alphesiboea, Callirrhoën duxit Alcmaeon, Acheloi filiam, e qua procreavit Acarnanem et Amphoterum, VIII, 24, 4. p. 646. De Amphilochi posteris nihil inveni, neque de Acarnanis et Amphoteri progenie; quod quidem mirum non videtur, quum in Acarnaniam profecti urbes ibi conderent rebusque Argivis non amplius immiscerentur. Floruisse tamen et vaticiniorum laude inclaruisse in Acarnania Melampodis stirpem, Megistiae docet exemplum, qui Spartanorum vates cum Leonida ad Thermopylas occubuit. Herodot. VII, 221, ubi cf. Interpp. — Fuisse etiam, qui Laodamiam Alcmaeonis filiam perhiberent, videmus e Schol. Hom. Il. XVI, 175; iidem ex hac et Peleo natam Polydoram referunt.

* * *

Jam exposito Melampodis genere transeamus ad Biantem eius fratrem. Homerus pluribus quidem locis tangit eius historiam (v. g. Od. XI, 287 sqq. XV, 247 sqq.), inde ab antiquissimo tempore, ut videtur, celebratam; sed Bian-

tis neque nomen adhibet neque genus describit, praeter quod Il. II, 565 et XXIII, 677 tres eius familiae generationes laudat, Talaum, Mecisteum filium, Euryalum nepotem; Adrastum, Sicyonis regem, Il. II, 572; eius filias Aegialeam quae Diomedi (Il. V, 412) et aliam anonymam, quae Tydeo nupsit, Il. XIV, 119 sqq.; Eriphylen Od. XI, 326 — sed stemma continuum inde componere vix possumus.

Pherecydis de hac gente perpauca eaque exilia supersunt fragmenta — ap. Schol. Hom. Od. XI, 289, in collectione Sturzii p. 118 — ap. Schol. Hom. Il. XIV, 121, in coll. Sturz. p. 156 —; ad Pherecydem etiam refero quae Schol. Villois. ad Hom. Catalog. 72 narrat de Biantis genere, quum a solo quantum legi Pherecyde Perialces Biantis filius commemoretur. Quae mea coniectura si vera est, e Pherecydis sententia hoc stemma restituere possumus.

Amythaon
|
Bias υ Pero, Nelei filia

Perialces — **Aretus** — **Alphesiboea**
|
Talaus

Mecisteus — **Adrastus**
| |
Euryalus — **Deipyle υ Tydeus.**

Apud Schol. Hom. Od. XI, 289 haud cunctanter rescribo: πάντων δὲ ἀπορουμένων, Βίας ὁ Ἀμυθάονος ὑπέσχετο δράσειν τοῦτο, quod Buttmannus proposuit, frustra, opinor, Sturzio defendente vulgatam Βίας ὁ Ταλαοῦ μόνος; quamvis enim negare nolo, interdum nomen πατὴρ supplendum videri, vix tamen probabile mihi fit, Βίας ὁ Ταλαοῦ sic nude positum aliud quid significare posse quam Biantem Talai filium. In Biantis liberis non parum inter se dissentiunt veteres, Pherecydes ap. Schol. et Eustath. ad Hom. Od. l. d. tres eius laudant liberos Perialcen, Aretum et Alphesiboeam, vel secundum Eustathium Alcesiboeam. De Perialce a solo Pherecyde memorato supra iam dixi. Ἄρητος vitiosam nominis scripturam iudicat Sturzius (in Pherec. p. 123) pro

Ἀρήϊος, quae nominis forma apud Apollon. Rhod. I, 118 et Orph. Argon. 149 occurrit; at quum Scholiastes Homeri et Eustathius Areti nomen tueantur, id a Pherecyde profectum esse putaverim, praesertim quum Apollonium et Orpheum in Areii genealogia alios quam Pherecydem auctores secutos manifestum sit. Ab utroque enim Argonauticorum auctore stemma hoc modo describitur:

Bias ∪ Pero, Nelei filia

Talaus Areius Leodocus.

quod omnino differt ab eo quod e Pherecyde discimus. Talaus Perialcis filius perhibetur in Schol. Villois. ad H. Catal. l. d.; reliqui quantum memini omnes Biantis filium appellant. Adrasti patrem in fragmentis Pherecydeis nominatum non invenimus, quare ex aliorum auctoritate Talao ipsum subiunxi cum Deipyle filia quam Tydeus duxit Aetolus advena, Pherec. frr. p. 156. Alphesiboeam Biantis e Perone filiam habet etiam Theocritus Idyll. 3, 45.

Copiosius huius familiae stemma expositum, vel fortasse compilatum potius exhibet Apollodorus I, 9, 12 sqq.; sed unde sua hauserit pro more laudabili indicare neglexit, quod quidem eo magis dolendum est, quum hanc sibi familiam poëtae Tragici in primis selegerint, quam ob belli Thebani horrores suis coloribus maxime depingerent. Tabula Apollodori haec est:

Bias ∪ Pero, Nelei filia

Pelias ∪ Anaxibia — **Talaus ∪ Lysimache, Abantis filia Melamp. neptis**

(Pelias ∪ Anaxibia:) **Pronax**, **Eriphyle**

(Pronax:) **Lycurgus**, **Amphithea**

(Talaus ∪ Lysimache:) **Parthenopaeus**, **Mecisteus**, **Aristomachus**, **Adrastus**

Parthenopaeus — **Promachus**; **Mecisteus** — **Euryalus**; **Aristomachus** — **Hippomedon**

Adrastus ∪ Amphithea, Pronactis filia

Argia nupta Polynici — **Deipyle** nupta Tydeo — **Aegialea** nupta Diomedi. — **Aegialeus** — **Cyanippus.**

Paucissima hoc loco sunt monenda, quum Heynius in Obss. egregie provincia sua functus sit; quare paucula tantum ad-

dam, et quae minus recte a viro doctissimo observata videntur, indicabo. Biantis uxorem cum tota fere antiquitate Peronem nuncupat Apollodorus I, 9, 12. p. 73; at II, 2 fin. p. 130 quod a nullo alio traditum inveni, unam e Proetidibus. Ad I, 9, 13, 1 Heynius in observationibus p. 67 dicit: «Alphesiboeam (Biantis filiam) Theocrit. 3, 45 meminit, quae supra s. 10 erat Anaxibia.» Quod non omnino consideratum videtur; nonne enim Anaxibia illa alia Biantis filia esse potuit, diversa ab Alphesiboea? Equidem certe nusquam inveni, Peliae uxorem ab aliis Alphesiboeam vocari Biantis filiam. Minus etiam mihi probatur coniectura quam idem proponit ad Apd. I, 9, 13 fin.: «obiit Cyanippus sine liberis, itaque licet coniicere παῖς δὲ Αἰγιαλεὺς οὗ Κυάνιππος.» Quomodo tandem itaque? Quo argumento nititur haec coniectura? Coniicere licet quidem, sed quid non? Verum est a Pausania Cyanippum bis Aegialei filium, ab Apollodoro fratrem vocari; quid vero hoc mirum? num hoc uno tantum articulo differunt? Si quid mutandum est, ante Κυάνιππος inserendum censuerim καὶ; neque tamen, si abest, valde id desidero, quum concinnitas orationis non sit accensenda praecipuis Apollodori virtutibus. Hippomedon, Aristomachi, (vel secundum alios v. g. Sophocl. Oed. Col. 1317 sq. Talai) filius occurrit III, 6, 3, 2. p. 280. Argia Polynici, Deipyle Tydeo nupta III, 6, 1, 6. p. 277. Aegialea, Adrasti, secundum alios Aegialei filia, Diomedi nupta I, 8, 6, 3. p. 61. Aegialeam Adrasti non filiam sed neptim fuisse defendi fortasse potest; quamvis enim Homero V, 412 περίφρων Ἀδρηστίνη audit, tamen Adrasti filiam fuisse non necessario sequitur, non magis quam v. g. ex hoc Antimachi versu (ap. Pausan. VIII, 25, 5. p. 650): Ἄδραστος Ταλαῶ υἱὸς Κρηθηϊάδαο, Talaum Crethei filium fuisse. Utut autem haec res se habeat, Aegialea exemplo esse potest, quanta licentia recentiores poëtae fabulas antiquas refinxerint. Περίφρων enim et ἰφθίμη Diomedis uxor, cuius in maritum amorem praedicat poëtarum pater:

μὴ δὴν Αἰγιάλεια περίφρων Ἀδρηστίνη,
ἐξ ὕπνου γοόωσα φίλους οἰκῆας ἐγείρῃ,
κουρίδιον ποθέουσα πόσιν. —

tanquam adulteriis infamis et in maritum perfida a recentioribus describitur. Cf. Eustath. ad Hom. l. l. p. 566, qui bene hoc fecisse οἱ μεθ' Ὅμηρον observat, — ad Dionys. Perieget. 483. p. 200. Tzetz. ad Lyc. 382. p. 46 b. ib. Potter. ad 432. p. 52 a., ad 603. p. 68 b. — Vide igitur qualem imaginem de Aegialea haberemus, si periissent Homeri carmina!

Jam denique in fine huius primae partis Biantis stemma apponam, quale e dispersis Pausaniae locis colligitur.

Bias υ Pero, Nelei filia

Talaus υ Lysianassa, Polybi filia

(Eriphyle)	**(Pronax)**	**Parthenopaeus**	**Adrastus**	**Δ**	**Mecisteus**
	Lycurgus	**Promachus**	**Aegialeus**	**Hippomedon**	**Euryalus**
			Cyanippus	**Polydorus.**	

De Biante eiusque cum Perone Nelei filia nuptiis v. Pausan. IV, 36, 3. p. 371 sq. X, 31, 2. p. 876. Talaus Biantis filius II, 6, 3. p. 125. II, 21, 2. p. 158. Primo illo loco monendum videtur, in utroque Codice Vindob. pro Ταλαῷ τῷ Βίαντος legi ταλαύσω τῷ βίαντος, qua tamen in lectione nominis diversitatem latere non puto, quum secundo illo loco, ubi Pausanias ad hunc nostrum lectores remittit, absque controversia Talaus Biantis filius perhibeatur. Talai uxorem Pausanias II, 6, 3 Lysianassam appellat, Polybi Sicyonis regis filiam; Apud Menaechmum Sicyonium (Schol. Pind. Nem. 9. p. 407) Lysimache eadem vocatur; idem nomen ab Apollodoro eidem tribuitur, sed Abantis filiam nuncupat. Quosquos auctores secutus sit Apollodorus, hac in re praevalet auctoritas Herodoti V, 67, Menaechmi et Pausaniae, qui Talai uxorem Polybi Sicyonii filiam tradunt, quum historiae tenore et rerum gestarum ordine egregie haec opinio comprobetur. — Eriphyle apud Pausaniam plu-

ries occurrit (v. g. V, 17, 4. p. 420) sed semper, si recte memini, sine patris nomine, quare parenthesi in tabula inclusi; eandem ob causam Pronactem cum Lycurgo filio, III, 18, 7. p. 256. E Menaechmi relatione (l. l.) prodire videtur, Pronactem, filium Talai et Lysimachae natu maximum fuisse. — Parthenopaeus eiusque filius Promachus II, 20, 4. p. 156. IX, 18, 4. p. 746. Alium Parthenopaei filium, Stratolaum, qui Epigonorum bello interfuit, recenset Eustath. ad Hom. Il. IV, 407. p. 489, 39, de quo nil aliud mihi innotuit. Adrastum Talai filium ex Antimacho laudat Pausan. VIII, 25, 5. p. 650, eius filium Aegialeum et Cyanippum nepotem I, 44, 7. p. 107. II, 18, 4. p. 150. II, 30, 9. p. 183. IX, 5, 7. p. 722. — Mecisteus, Euryalusque filius II, 20, 4. p. 156. II, 30, 9. p. 183. IX, 18, 1. p. 745. De Hippomedontis patre e Pausania non constat; X, 10, 2. p. 821 de ipso dicit: Ἱππομέδων ἀδελφῆς Ἀδράςου παῖς, sed eadem haec Adrasti soror eiusque maritus non nominantur. Heynius in Obss. ad Apd. III, 6, 3. p. 246 dicit: «Hippomedon Aristomachi filius ex Adrasti sorore. Pausan. X, 10», et Siebelis ad Paus. l. l. p. 189: «Hippomedon apud Apollodor. III, 6, 3 Aristomachi filius et ut ex nostro loco videmus, ex Adrasti sorore.» Miror sane utrumque virum doctissimum non animadvertisse, Adrasti sororem eandem etiam Aristomachi sororem fuisse, quum Adrastus et Aristomachus fratres sint; neque tamen probabile videtur Hippomedontem e fratre et sorore natum esse. Mihi Pausaniae locus corruptus et mutilus videtur. Certe ante ἀδελφῆς nomen quoddam excidit; neque mihi absonum videtur, quum a reliquis Hippomedon Aristomachi, Adrasti fratris, filius perhibeatur et Eriphyle sola Adrasti soror commemoretur, e qua Hippomedon certe natus non est, pro ἀδελφῆς rescribere ἀδελφοῦ. Erat quum coniicerem: Πολυνείκης τε καὶ Ἱππομέδων, ἀδελφιδοῦς Ἀδράςου, παῖς. Sed remoratum me est quod inter duces recensetur Hippomedon, cui vocabulum παῖς non omnino convenire videbatur, quam-

vis ab Homero Il. XI, 710 Molionidae, Epeorum duces παῖδ' ἔτ' ἐόντε vocantur. Equidem haereo et meliora ab aliis exspecto. Polydorus Hippomedontis filius inter Epigonos recensetur Paus. II, 20, 4. p. 156; habet etiam Eustathius ad Hom. Il. IV, 407. p. 489, 39.

PARS SECUNDA S. HISTORICA.

Τὰ μὲν οὖν παλαιὰ τοιαῦτα εὗρον, χαλεπὰ ὄντα παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ πιςεῦσαι· οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰς ἀκοὰς τῶν προγεγενημένων, καὶ ἢν ἐπιχώρια σφίσιν ᾖ, ὁμοίως ἀβασανίςως παρ᾽ ἀλλήλων δέχονται.

Thucyd. I, 20.

PARTIS SECUNDAE

CAPUT PRIMUM.

ARGOLIDIS HISTORIA USQUE AD IMPERII DIVISIONEM.

Prae omnibus reliquis Graeciae antiquissimae civitatibus inclaruit respublica Argiva, imperii potentia, stirpis regiae nobilitate ac veneranda vetustate, maiorum gloria et rebus gestis longe lateque celebrata. Prima gentis origo in remotissimam recedit antiquitatem, et, ut origines fere solent, spissa caligine obvoluta est, ita ut unde in terram Argivam immigraverint primi incolae, qua via, qua ratione commoti, quo duce et quae sunt reliqua, dilucido ordine demonstrari nequeat. Hoc quidem maxime videtur probabile, eam Peloponnesi partem, quae postea Argolidis nomine celebrata est, primam habitatam fuisse, et inde tanquam e seminario multas alias Graeciae regiones accepisse incolas suos artiumque culturam et religionem, non in Peloponneso tantum, sed etiam in septentrionalibus provinciis et barbaris adeo terris. Ipsi aboriginum gloriabantur nomine, hoc est ex hominum memoria eandem incoluerunt terram, et in maximis Graeciae perturbationibus populorumque migrationibus solum quidem patrium vertere coacti e Peloponneso tamen non exiere. Si verum est quod Graeci perhibent, Pelasgis nomen inditum a Pelasgo rege, de primo gentis nomine non constat; at Pelasgo antiquiorem esse hanc denominationem non est quod dubitemus, quum numerosissimum hunc populum non intra angustos Argolidis terminos se continuisse, sed spatiosas maris Aegaei oras occupasse satis probatum sit. At ne in hac quaestione haereamus monet virium imbecillitas et instituti nostri ratio, quum hic de Pelasgis locus, e difficillimis to-

tius antiquitatis, a multis quidem frequentatus, a nemine tamen exhaustus dici queat; quare ne populus magnus historia careat, operae pretium foret, ut vir doctrina, ingenio et perseverantia satis instructus, integram hanc quaestionem sub examen denuo revocet, eoque haud contemnendam historiae partem novis studiis illustret. Mei laboris finis est, non populi Pelasgici, sed Argivorum regum historiam vel potius brevem adumbrationem conscribere.

Primus in Argolide regnasse dicitur Inachus, Oceani filius, de quo fluviusne fuerit an homo controversia est. — Pausan. II, 15, 4. 5. p. 144. — Quamdiu primi homines huius terrae incolae sine civitatis iure vixerint, quis facile dixerit? Eos ab initio separatos, nec ullo vinculo sociali coniunctos vitam egisse, antiqua tradit fabula, donec Phoroneus, quem Inachi filium perhibent, et primum Argolidis regem, incolas seorsum habitantes in civitatis ius compulit, quo fundamenta acta sunt culturae atque humanitatis; nam quod docuit magnus ille Anglus, nonnisi inter homines homines homines fieri, non solum de singulis hominibus verum est, sed etiam de familiis. Collectis igitur in reipublicae formam incolis dispersis, urbem condidit, quam suo nomine Phoronicam appellarunt (ἄςυ Φορωνικόν — Paus. l. d. Steph. Byz. s. v. Ἄργος, Schol. ad Eurip. Orest. 1239) et quae est fortasse antiquissima totius Peloponnesi. Ad eandem fere aetatem refero Tirynthem, a tempore remotissimo habitatam sed alio nomine, quum ante urbis per Perseum restaurationem sub Aliis s. Haliis denominatione occurrat, cf. Eustath. ad Hom. Il. II, 559. p. 286. Steph. Byz. s. v. Ἁλιεῖς. Ad hanc rem mox redibimus. Nemini itaque mirum videbitur, si Argivi ad primum humanitatis in Peloponneso conditorem non urbes tantum conditas et ordinem civilem referunt, sed artium etiam principium, ignis inventum, Pausan. II, 19, 5. p. 153. Traditio etiam antiquissima, ut videtur, Hermionensium ab eodem fere tempore repetit agriculturae donum (Paus. II, 35, 3—7. p. 194 sqq.), et vere tribus his rebus, igne, civitate, agricultura omnis humanitatis principia con-

tinentur. In Prone, monte Hermionensis agri, templum erat Cereris memoratu dignissimum, a Clymeno Phoronei filio et Chthonia eius sorore conditum, ut fabula erat Hermionensium. Pertinet igitur ad ipsa principia Hermionae urbis, quam ab Hermione Phoronei nepote aedificatam tradebant incolae; hanc enim Phoronei genealogiam sibi finxerunt Hermionenses (Pausan. II, 34, 5. p. 191 et II, 35, 3. pag. 194):

Phoroneus

Europs — **Clymenus** — **Chthonia**

|

Hermion.

Diversa de hoc templo tradebant Argivi; Cererem nempe Argolidis fines ingressam ab Athera et Mysio hospitio acceptam, a Colonta contemtui habitam fuisse, indigne id ferente Chthonia eius filia, quae, combusto cum ipsa domo Colonta, a Dea servata Hermionae id templum dedicaverit. Quid Pausaniae de Clymeno videatur, ipse narrat II, 35, 5. p. 196. Quamvis autem Argivorum narratione Cereris Chthoniae Hermionensis cultus in recentiora deprimitur tempora, Pelasgi nempe Triopae filii, tamen in antiqua satis tempora huius Deae apud Argivos religionem recedere videmus.

Post Phoronei mortem Apis imperium usurpasse videtur — Scholiastes enim Euripidis ad Orest. 920, qui Inachum primum, Pelasgum secundum, Danaum Beli filium, tertium Argolidis regem nuncupat, audiendus non est —, qui eo celebritatis pervenit, ut eius nomine Peloponnesus Apia vocata diceretur; sed ea ipsa fortuna secunda elatus auctoritate sua abuti et imperii formam in tyrannidem mutare coepit. Quam quum fratres Car et Aegialeus non ferrent, adscita factione in alias terras colonias deduxere; et Aegialeus quidem oram occupavit maritimam, quae Achaia postea nominata est, urbique ibi conditae (quae posthac Sicyon appellata est) et toti litori Aegialeae nomen indidit. Pausan. II, 5, 5. p. 123. II, 6, 2. p. 125. VII, 1, 1. p. 521 *). Car

*) Apollodoro teste II, 1, 1, 4. p. 110 f. ἡ χώρα ἅπασα (de Inachi regno loquitur) Αἰγιάλεια ἐκλήθη; hoc vel de tota Pelo-

vero Megaram secessit, arci ibi conditae Cariae nomen dedit, et incolas agriculturam et Cereris sacra edocuit. Pausan. I, 39, 4. 5. p. 95. 40, 5. p. 97. Apis a Telchino et Thelxione occisus (spe fortasse succedendi) quum sine prole mascula obiisset *) (Apollod. II, 1, 1, 6. p. 111) et reliqui Phoronei filii dispersi essent (Schol. Eurip. Or. 1239; cf. quae de hoc loco dixi, ubi e Scholiasta stemma exposui), Europs vero ante patrem iam mortuus (Paus. II, 34, 5. p. 191), Argo imperium cessit, Phoronei e Niobe nepoti. Herophanes Troezenius (ad. Pausaniam l. d.) Europem Phoronei filium spurium fuisse, suspicatus est ea commotus ratione, quod Argorum imperium nunquam ad Argum Phoronei e filia nepotem perventurum fuisset, si legitimus Phoroneo filius fuisset. Pausanias hanc argumentationem improbat; sed eius verba subobscura sunt „ἐγὼ δὲ, εἰ καὶ γνήσιον ὄντα Εὔρωπα πρότερον τὸ Χρεὼν ἢ Φορωνέα ἐπέλαβεν, εὖ οἶδα, ὡς οὐκ ἔμελλεν ὁ παῖς αὐτῷ Νιόβης παιδὶ ἴσα οἴσεσθαι, Διός γε εἶναι δοκοῦντι.“ Varia loci interpretamenta repetere nolo; mihi sensus hic esse videtur: «Equidem hanc Herophanis argumentationem praecipitatam iudico; quum probe sciam Europis filium nunquam Niobae filio parem potestate futurum fuisse, si vel maxime legitimus Europs ante mortem Phoronei decessisset, quum Jovis esse Argus putaretur.» Quae Pausaniae ratio omnino iusta videtur; nam si ea sola de causa Herophanes Europem spurium fuisse putaverat, quod Phoroneo non successit, recte Pausanias legitimos eius natales eo titulo defendit, quod ante patrem potest obiisse; quod autem ad Hermionem attinet et Argum, hoc manifestum est Jovis et Niobae filium superiorem discessisse, etiamsi Hermion a patre quam maxime legitime nato ortus erat.

Eadem fere aetate Sparton et Messon vixerunt, nisi ab Argivis recentioribus hi excogitati sunt, ut Spartae etiam

ponneso vel de Argolide est intelligendum. Stephanus Byz. s. v. Ἄργος, urbem Phoronicam Aegialeam nominatam refert. In quo errorem latere crediderim.

*) At cf. quae supra (p. 7 fin.) ex Hom. Schol. protuli.

Messeniaeque historiam ab Inacho deducerent et vinculo genealogico has terras cum Argolide coniungerent. Lacedaemonii certe Spartonem omnino ignorarunt, Pausania teste II, 16, 3. p. 146. — Argi nomine urbs Argos, incolae Argivi vocati sunt; adeoque crevit eius auctoritas, ut tota Peloponneso occupata (Schol. Eur. Or. 1239) terram suo nomine appellaret, quae denominatio Homero maxime est familiaris. A Pelasgo eius fratre, ex Acusilai sententia, regnum Arcadicum conditum est; sed rectius hoc de Pelasgo, Arestoris filio, Ecbasi nepote, Argi pronepote e Characis sententia (v. Stephan. Byz. s. v. Παῤῥασία) tradi, in Arcadicis aptior monstrandi locus erit.

Argo Criasus successit, Pherecyde, Scholiasta ad Eurip. Or. 920 et (si ea quam supra proposui coniectura vera est) Pausania testibus. Eodem ordine (Inachus — Phoroneus — Apis — Argus — Criasus) reges Argivos recensent chronologi ab Eusebio expressi (chron. Euseb. n. 225 sq.). Duo alii Argi filii (ex Argivorum traditione et Eoearum magnarum auctoritate, Pausan. II, 25, 7. p. 169. II, 26, 3. p. 170) tanquam urbium vel novarum conditores vel iam existentium amplificatores commemorantur; Epidaurus in terram cognominem primos incolas deduxisse; Tiryns urbem antiquissimam Alin vel Halin adauxisse, suoque nomine denominasse dicitur, Eustath. ad Hom. Il. II, 559. p. 286 coll. Pausan. II, 25, 7. p. 169. Pirasus quartus Argi filius Tirynthe habitasse videtur; certe antiquissimam Junonis statuam ibi dedicavit. Pausan. II, 17, 5. p. 148. Ecbasus, quintus Argi filius, vel ipse Arcadiam occupavit, vel stirpi regum Arcadiae originem dedit per Arestorem filium et Pelasgum nepotem. — Criasum excepit Phorbas, Phorbantem Triopas. Ab hoc coloniam Rhodum esse deductam, narrat Diodor. Sic. IV, 58; quod mihi quidem non valde fit verisimile; quum Triopam Argorum regem imperio relicto in coloniam abiisse probabile non videatur; ipsum Argis mortuum esse ex Hellanici narratione videmus (ap. Schol. ad Hom. Il. III, 75). Ipso regnante coloniam illam esse deductam, haud cunctanter amplector.

Triopae tres commemorantur filii Jasus, Pelasgus et Agenor, natu minimus; quibus addunt alii quartum Phorbantem, Pellenis patrem, Pellenae conditoris. Tres primi post patris mortem regnum ita inter se diviserunt (teste Hellanico ap. Schol. Hom. Il. III, 75 et Eustath. ad eundem locum; ap. Sturz. fr. VII. p. 49 sqq.), ut Pelasgo sorte eveniret circa Erasinum fluvium (qui et Arsinus Strab. VIII. p. 569) terra — ἡ πρὸς Ἐρασίνῳ —; Jaso τὰ πρὸς Ἦλιν; Agenor vero in distributione hereditatis paternae equorum armenta obtineret; sed non sine terrae parte, puto; quae enim pascua habuisset?

Pelasgus Larissam condidit, Argorum arcem, et filiae nomine appellavit. Traditur hoc ab Hellanico l. d., Pausania II, 23, 9. p. 165 (de situ arcis Strab. VIII, p. 569. Paus. III, 17, 2. p. 250) aliisque. Aliam Larissam ab eadem denominatam in Thessalia commemorant auctores, v. g. Pausan. l. l. p. 165, quod non negaverim, quum in Thessaliam enupsisse Larissam constet, quamvis hoc nomen pro nomine appellativo habere malim; at silentio non est praetermittendum, quod Schol. ad Apollon. Rh. I, 40 (ap. Sturz. Hellan. fr 116 p. 149) habet: Λάρισσα πόλις Θεσσαλικὴ, ἣν ἔκτισεν Ἀκρίσιος· ἥτις ὠνομάσθη ἀπὸ Λαρίσσης τῆς Πελασγοῦ, ὥς φησιν Ἑλλάνικος; verba tantum ἥτις — Πελασγοῦ ex Hellanico depromta putari debere recte monuit Sturzius; sed addere debuisset, alieno loco adiecta esse a Scholiasta; Hellanicus enim de Larissa Argiva locutus erat, neque vero de Thessalica. Vix equidem crediderim, Larissam ab Acrisio conditam a Pelasgi filia denominatam fuisse; erat haec fabula omnino diversa. Ceterum de Larissa ad Peneum ab Acrisio condita nullum aliud testimonium reminiscor praeter supra adscriptum e Schol. Apollonii; secundum Pausaniam II, 16, 2. p. 145 et Apollod. II, 4, 4, 1. 2. p. 144 Acrisius Larissam proficiscitur; condita igitur iam erat. Ad aliam iterum Larissam urbis cognominis ad Peneum denominationem referre videtur Schol. Apollon. Rh. II, 500: ἦν δὲ καὶ ἀδελφὴ τῇ Κυρήνῃ, Λάρισσα, ἧς ὁμώ-

νυμος πόλις ἐν Θεσσαλίᾳ· ψεύδονται δὲ οἱ λέγοντες αὐτὴν θυγατέρα Πηνειοῦ· ἔνεμε γὰρ θρέμματα παρ' αὐτῷ, ἀλλ' οὐκ ἦν ἐκείνου θυγάτηρ. Cf. de pluribus Larissis Siebelis ad Pausan. II, 23, 9. Sturz. Hellan. frr. p. 51. Eustath. ad Hom. Il. II, 841. p. 357 sq.

Ab hoc Pelasgo Cereris sacra in Argolide constituta sunt; apud Phliasios Dysaules (qui ex eorum traditione Celei frater fuit) primus initia tradidit Pelasgi tempore. Memoriae etiam proditum est, Cererem, quum Argos venisset, a Pelasgo hospitio receptam esse, Pausan. I, 14, 2. p. 34; eidem Pelasgus Triopae filius templum dedicavit, quae Pelasgis inde cognominata est. Non procul ab hoc templo Pelasgi ipsius sepulcrum fuit, Paus. II, 22, 2. p. 160 fin. Primus sacrorum antistes (ἱεροφάντης) Trochilus fuisse videtur Jonis filius, qui (Pelasgi post mortem opinor) ab Agenore Argis pulsus in Atticam abiit, ibique, ex Argivorum fabula, Eubuleum et Triptolemum filios sustulit, quod Athenienses quidem negant, Paus. I, 14, 2. Causas contentionum inter Trochilum et Agenorem ignoramus; fortasse imperii successionem, Agenori, fratrum minimo disputavit Trochilus, Jasi, fratrum maximi, nepos. — Scholiastes etiam Euripidis ad Or. 920 ab hoc Pelasgo ἀγροῦ (vel ex emendatione Ez. Spanhemii ad Callimach. hymn. in Pallad. 4, ἄρτου; sed is in exemplari suo ἄργου legerat) κατασκευὴν inventam esse, quum antea δράγμασι vescerentur homines, refert. Circa hanc rem magna apud veteres confusio; veritati tamen testimoniis fide dignissimis et temporum ratione firmatae proxime accedit, agri culturam et panificium in Argolide primum a Pelasgo, Triopae filio, institutam esse. Sine prole mascula mortuus videtur; Larissa filia Haemoni nupsit Thessalo.

Jasus Hellanico teste accepit τὰ πρὸς Ἦλιν; quaenam haec est regio? De Elide illa quae Arcadiae ab occidente est cogitare non possumus; quomodo enim τῆς Ἀργείας pars haec fuisset? Plures huius nominis urbes ab Eustathio (ad Hom. Il. II, 615. p. 303) recensentur; Hispanica et ea quae prope Olympiam est ab hac quaestione alienae sunt; aptior

est Arcadica, neque tamen apta; harum nullam esse intelligendam mihi persuadeo. Plures Argolidis occurrunt divisiones, in quibus Argorum et Tirynthis urbes tanquam fundamentum divisionis animadvertimus, ita ut terrae natura hunc limitem quasi exigere videatur. Jam quum Eustathius ad Hom. Il. II, 559. p. 286 Tirynthis nomen antiquissimum Halin (Alin, Elin, διὰ τὸ πολλοὺς ἁλιευομένους οἰκεῖν ἐκεῖ.) fuisse referat, et quum e Stephano Byz. s. v. Ἁλιεῖς videamus, Tirynthios olim Halienses vocatos esse, non absonum videtur etiam in hac divisione Halin de Tirynthe intelligere, quum Pelasgo Argos evenisse inde concludere possimus, quod is arcem urbi imminentem condidisse traditur. Rectius fortasse in Hellanici illo loco τὰ πρὸς Ἧλιν scribitur. Proferat meliora qui habet.

Jasi una tantum filia commemoratur, Jo illa celebratissima quae in Aegyptum abiit sive rapta, sive furore acta; proles Jasi mascula non prostat. Xanthus qui a Schol. Eurip. Or. 920 filiis Triopae natu minoribus accensetur (Pelasgus enim et Jasus gemelli natu maiores dicuntur) coloniam deduxit in Lyciam urbemque ibi condidit cognominem (Diod. Sic. V, 81), si fides fabulae est habenda. Hac ratione post Jasi et Pelasgi mortem ad Agenorem imperium rediit, filiorum Triopae natu minimum, Argolisque uni iterum paruit; sed num solo hereditatis titulo regno potitus sit absque controversia, quaeritur. Superstites erant qui ad imperium adspirare poterant, Trochilus, Jasi ex Jone nepos, Pelasgus, Achaeus et Phthius, Pelasgi e Larissa nepotes et Agenor Jasi et Pelasgi frater. Magnae de imperio contentiones exortae videntur post Jasi et Pelasgi mortem. Hellanicus *) cum

*) Quousque haec historia ex Hellanico hausta sit, non definio; si Villoisonii Scholiastam sequimur, Agenoris etiam invasio ab Hellanico in Argolicis narrata fuerat; Eustathio vero teste haec ab aliis auctoribus narratur. Postquam enim terrae divisionem et Argorum triplicem a tribus fratribus denominationem retulerat ex Hellanico (quae eadem habet Schol. Villois.) addit Thessalonicensis: τινὲς δὲ μετὰ θάνατον τῶν δύο ἀδελφῶν ἐπιςρατεῦσαί φασι τὸν Ἀγήνορα κ. λ.

magnis copiis equestribus terram occupasse Agenorem tradit; procul dubio imperii aemulos eiecit; et egregie hac ratione explicatur Trochili fuga, Pausan. I, 14, 2. p. 34 et colonia Pelasgica a Pelasgo, Achaeo, Phthio in Thessaliam deducta, de qua vide Dionys. Halic. A. Rom. I, 17 sq. Plut. Pyrrh. 1. Schol. Apollon. Rhod. I, 580. — Tria a tribus fratribus Argorum cognomina derivari docet Hellanicus, Ἴασον, Πελασγικὸν et Ἱππόβοτον. In ambitu et derivatione nominis Ἴασον non omnes idem sentiunt, sed mitto hanc quaestionem tanquam a re alienam. Hippoboti cognomen Steph. Byz. S. v. Ἄργος a Neptuni armentis derivat.

Pelasgus primus obiisse, Jasusque in imperio ipsi successisse videtur, quem excepit Agenor, vel secundum alios auctores, quos Pausanias sequitur (II, 16, 1. p. 145), mihi minus probatos Crotopus, Agenoris filius; huic successit Sthenelas, qui Gelanorem habuit successorem, ultimum ex hac linea. Danaus enim ex Aegypto veniens, Agenoris posteris imperio submotis, regno potitus est; quae res carminibus celebratissima in Argolidis et omnino totius Graeciae historia maximi est momenti. Argivi quidem non stirpem tantum regiam mutavere, sed nomen etiam incolarum, quum Danai inde cognominarentur (Paus. VII, 1. 3. pag. 523. Euripides in Archelai fr. ap. Strab. VIII, p. 569 s.); familiae auctoritas et potentia connubiis opibusque privatis maxime aucta, et Graeciae Aegyptiorum cultura imbuta est. Circa hunc Danai in Graeciam adventum multa sunt obscura, quae vix unquam lucem accipient, quum neque de adventus causa liqueat, neque de ratione, qua imperio potitus est, neque denique de tempore quo appulit Danaus. Contentionem enim cum Aegypto fratre, qualem poëtae et mythographi referunt, in causis historicis recensere, non patitur historiae dignitas; fabulae sunt istae et commenta, e quibus in infucatam rei gestae descriptionem exigua vel nulla utique redundare videtur utilitas; quaestio vero mythico-symbolica ab opere meo aliena est. Quare quinquaginta Danai filiae, et quinquaginta Aegypti filii non immerito ab hoc loco absunt, et

alia quaerenda est causa, ob quam Danaus cum factione sua, Aegypto relicta, in Graeciam et quidem in Argolidem classem appulerit. Graeci, qui tabulas genealogicas composuerunt, cognationem quidem statuunt inter Agenoridas Argolidis reges et Danaides, utraque enim stirps apud ipsos adscendit ad Triopam patrem communem; at Danai adventum non ex hac cognatione, sed cognationem hanc e Danai adventu esse explicandam equidem puto; nam in historia scribenda lineae descendenti Jasi fidem denegare non haesito, quum inter omnes constet, Graecorum vanitatem vel remotissima diversissimaque amplecti et omnino aliena ad sua trahere, ita ut saepissime etiam iis originem Graecam affingerent stemmaque protinus componerent, quibus nunquam ne commercium quidem cum Graecis fuerat. Hoc maxime modo Danai stemma ortum mihi videtur, quum mythographi traditionem de Jonis in Aegyptum itinere et de Danai in Argolidem adventu, genealogicis argumentis connecterent, Danaumque ab Jone et Jaso deducerent. Silentio tamen non est praetermittendum Aegyptiacas illas generationes — Jo — Epaphus — Libya — Belus — Danaus — Danaides — temporum rationes non parum turbare. Danai enim filiae (taceo de numero quinquagenario) quum Argolidem appellerent cum patre, omnes nubiles iam finguntur; pater igitur, si e natura rem diiudicamus, senex plus quam decrepitus fuit, dum Gelanor, Danaidum aequalis, pubertatis terminos non multum excessisse videtur. At enim vero Gelanor a Triopa descendit gradu quinto, Danaides octavo, quae quam male conveniant manifestum est. Augent difficultatem qui Danaum non Gelanore, sed Sthenela (s. Sthenelo) regnante in Graeciam venisse tradunt, quae est narratio Clementis Alexandrini (Stromm. p. 321) probata a Clavierio (Hist. d. prem. temps d. l. Grèce I, 26) ob hunc praesertim Pausaniae locum II, 19, 3. p. 152: *παραγενόμενος ἐς τὸ Ἄργος ἠμφισβήτει πρὸς Γελάνορα τὸν Σθενέλα περὶ τῆς ἀρχῆς*; e quo quomodo id erui possit equidem non video; e contrario ex his ipsis verbis et e Pausaniae narratione II, 16, 1. p. 145 non am-

bigue prodire videtur, Danai adventum in Gelanoris incidisse imperium, et expressis verbis id affirmat Plutarchus Pyrrho 32; quare nullus amplius dubitandi locus relinquitur.

Neque magis clarum est, quomodo Danaus advena regnum usurpare et Gelanorem ex imperio paterno removere potuerit. Pausanias quidem quomodo id factum sit narrat II, 19, 3. p. 152; sed incredulitatis crimen is certe non incurret qui fidem huic narrationi derogaverit. Eandem lupi cum tauro pugnam Plutarchus l. d. habet; sed ibi Danaus lupi victoriam tanquam omen accepit, quum Pausania teste hoc prodigio commoti Argivi, imperium remoto Gelanore, Danao tradiderint. Procul dubio Danaus invasionem suam non suscepit sine iusto copiarum subsidio; facileque id colligimus ex alio Pausaniae loco IV, 35, 2. p. 367: *ἦσαν δὲ οἱ Ναυπλιεῖς (ἐμοὶ δοκεῖν) Αἰγύπτιοι τὰ παλαιότερα· παραγενόμενοι δὲ ὁμοῦ Δαναῷ ναυσὶν ἐς τὴν Ἀργολίδα, ὕστερον γενεαῖς τρισὶν ὑπὸ Ναυπλίου τοῦ Ἀμυμώνης κατῳκίσθησαν ἐν Ναυπλίᾳ.*

Simul cum Danao Lelex, patruus eius, in Graeciam venisse, e veterum traditione videtur, atque si sola stemmata genealogica consulimus, id facile fieri potuisse non est quod negare possimus; sin vero temporum rationem habemus, non difficile est perspectu, Lelegem novae stirpis regiae in Megaride conditorem neque cum Danao in Graeciam venire, neque Beli fratrem esse potuisse. Perpendamus enim haec duo momenta:

1) A Libya in Lelegis linea usque ad Scironem Thesei et Herculis aequalem quinque sunt generationes — Libya — Lelex — Cleson — Pylas — Sciron. Pausan. I, 39, 5. p. 95. coll. I, 44, 5. p. 106 —; ab eadem in linea Beli usque ad Herculem, undecim — Libya — Belus — Aegyptus — Lynceus — Abas — Acrisius — Danaë — Perseus — Electryo — Alcmene — Hercules. Si igitur a Scirone proficiscimur, lineaque recta ad Lelegem usque adscendimus, ita ut intra singulas generationes termino medio triginta annos computemus (et sub calido Graeciae coelo id multum esse con-

cessum, nemo infitiabitur), a Lelege nato usque ad Scironem occisum (quum aetate iam provecta interfectus videatur, sexagenarium mortuum ponamus) 150 quasi annos effluxisse perspiciemus; a Belo vero, Lelegis (si Diis placet) fratre, ad Herculem, Theseo fere aequalem, si eandem sequimur computationem, praeter quod Herculis non mortem sed natales ponimus, 300 anni erunt; et usque ad Herculem mortuum, si quinquagenarium obiisse ponimus, 350 anni. Jam vero Scironis aevum, Endeidis filiae connubio cum Aeaco, eiusque caede per Theseum satis definitur. Sic igitur computemus *) adscendentes a bello Troiano. Natus sit Achilles anno 20 a. b. T.; maiorem certe non fuisse docet v. g. Hom. Il. IX, 438 sqq.; ex eodem loco videmus, Peleum eo tempore senem iam fuisse; fuerit ergo initio belli Tr. sexagenarius; natus itaque erit Aeacus circa annum 93 a. b. T.; et eodem tempore Endeis eius uxor, vel ut rotunda sit computatio anno 100 a. b. T.; inde si per generationes adscendimus, singulisque 33 annos adsignamus, Lelegem circa annum 233 a. b. T. natum inveniemus. — Herculem vero si e computatione vulgari anno 100 a. b. Tr. natum ponimus, et generationes tricenarias computamus, Belum, Lelegis (si verum est) fratrem anno quasi 370 a. b. T. natum videbimus, vel quia in generationum linea bis feminae occurrunt, Danaë et Alcmene, anno 350. Est igitur Belus 117 annis Lelege maior, vel, ut liberales simus, integro saeculo.

2) Ex Megarensium traditione Lelex in Graeciam venit duodecima generatione post Carem, Phoronei filium, non natum sed haud dubie florentem vel mortuum. Undecim generationes tricenariae efficiunt annos 330; quibus si addimus unam dimidiatam (duodecima enim advenisse dicitur) anno fere 345 post Carem in Graeciam appulisse Lelegem recte statuemus. Jam si Pausaniae inspicimus stemma, Nioben, Argi matrem, Caris sororem fuisse videmus; Argum igitur

*) Qua in re ne parcus sim generationes in Lelegis linea triginta trium annorum concedam, altera vero linea a Belo usque ad Herculem triginta tantum annorum.

natum ponamus eo tempore quo Car floruit; — quod eo fine pono ut habeam unde proficiscar — et inter singulos partus 30 annos; et habebimus ab Argo nato (s. Care florente) usque ad Lelegem natum 210, et usque ad eius adventum in Graeciam quasi 240 annos; quae computatio iterum efficit differentiam integri saeculi, Lelegemque uno saeculo post Belum vixisse probat. — E duplici hac argumentatione videmus, circa aetatem Lelegis non errasse Megarenses; a suspicione autem stemmatis afficti aeque liberari non posse. Lelegem advenam, fortasse adeo Aegyptium, in Megaridem appulisse, nequaquam negaverim; Beli vero fratrem fuisse pernego; Megarenses, ut illustre ei genus affingerent, a Libya illum derivarunt, neque viderunt per temporis ordinem id fieri non posse.

Danao Argis regnante civitas novo incremento aucta est. Eo enim tempore in Thessalia Hellenica stirps crescere imperiique fines prolatare incepit et primo quidem Phthiotide occupata eiectisque incolis sedes in hac terra fixit. Magna Pelasgorum pars in Peloponnesum abiisse et ab Argivis tanquam populares recepti videntur. Huc enim referendum puto quod Pausanias (VII, 1, 3. p. 524 f.) tradit de Archandro et Architele, Achaei vel filiis vel nepotibus. Venerunt hi fratres e Phthiotide in Argolidem non soli certe, sed haud contemnendarum duces copiarum; quare Danai generi facti eo auctoritatis creverunt, ut Pelasgi Peloponnesii Argolidem et Laconiam tenentes, ab iis quos secum adduxerant, et qui antea iam ab Achaeo Achaeorum nomen adoptaverant, et ipsi nomine communi Achaei, proprio vero Argivi soli, Danai appellarentur. Paus. l. l. p. 525. Sed haec etiam res, ut antiquitatis fere omnes, controversa est, quam vero penitius perscrutari ab hoc opere alienum puto; quare eam q u a e s t i o n e m, num discrimen gentilitium inter Achaeos et Pelasgos intercesserit, intactam relinquo, paucisque tantum verbis quid mihi ea de re videatur propono.

Strabo (VIII, p. 365) narrat Achaeorum coloniam a Pelope deductam in Peloponnesum migrasse; incolas vero (VIII,

383) ab Achaeo, Xuthi filio, ex Attica in Laconiam confugo, Achaeos appellatos esse. At constat inter omnes Argolidis et Laconiae incolas ante Doriensium invasionem meros Pelasgos fuisse ab omni elemento adventitio puros. Si igitur colonia immigravit e Thessalia in Argolidem, Pelasgica certe fuit, neque vero Hellenica. Ne enim loquar de temporis difficultate, quis tandem sibi persuadebit, Hellenes qui tum vel maxime cum veteribus Thessaliae incolis de terrae possessione contendebant, et in eo iam erant ut e maxima patriae parte Pelasgos eiicerent (quod quidem non longe post factum est Nana regnante), quis tandem, inquam, sibi persuadebit, Hellenes fatali hoc temporis articulo ita ratione destitutos fuisse, ut vires ipsi coloniis emissis frangerent; et coloniis quasnam in terras? eorum in terras quorum fratres ipsi sedibus expulerant! Callidum sane consilium! Credat cui placet, equidem calculum non adiicio. Egregie vero Hellenum in Thessalia expeditiones, Pelasgorum fuga, Achaeorum Pelasgicorum in Argolidem secessus et benigna receptio inter se concinere videntur. Fuerunt qui observarent cum temporis ratione non bene convenire, Archandrum et Architelem, Achaei filios, Danai generos fuisse, ideoque de Danao recentiore sermonem esse putarent (Larcher chronol. Herodot.); quae observatio verissima est, si de Xuthi nepotibus intelligimus; at satis commode chronologia procedere videtur, si quod equidem proposui, et quod stemmata probant, Archandrum atque Architelem ab Hellenis stirpe disiunctos, ad Pelasgici Achaei stirpem referimus. Fortasse singulari dissertatione aliquando hanc quaestionem exponendam mihi sumam.

Danao successit Lynceus (unde Λυγκήϊον Ἄργος Apollon. Rh. I, 125), huic Abas, a quo Ἄβαντος ἀγυιαί. Pind. Pyth. 8. Ab hoc quem expressis verbis Lyncei et Hypermnestrae filium nuncupat Pausanias (X, 35, 1. p. 887) Abas in Phocide conditas tradunt. Sed si verum est, quod mihi quidem non extra omne dubium positum videtur, Abas Phoceas ab Abante quodam nominatas esse, quaeritur tamen

num hic urbis conditor vere Argivus ille Lyncei filius fuerit, annon alius potius quidam v. g. Chalcodontis pater, Euboeensis. De Argivo vix crediderim; qua enim inductus causa regno relicto in terra aliena urbem condidisset? Sed ea fere erat consuetudo Graecorum, ut urbium originem ad nomen quoddam inclytum referrent, quod ab urbis nomine non nimis erat absonum. Sic, ut exemplo utar non dissito, de Abantum in Euboea nomine est controversia, quod alii ab Abante Argivo, alii ab Abante Alconis filio, alii denique ex Aristotelis opinione, a Thracibus ex Abarum urbe oriundis (de quibus cf. Thucyd. II, 29) derivandum putant; v. Eustath. ad Hom. Il. II, 542. p. 281, 29 sq. Eodem refero Scholiastam ad Pindar. Pyth. d. l., qui praeterea homines diversos commutavit: Ἄβαντος ἀγυιάς) τὸ Ἄργος φησίν· ὅτι Ἄβας ὁ Λυγκέως, Ταλαοῦ πατὴρ, ἐξ οὗ ὁ Ἄδραςος, ᾤκησε τὸ Ἄργος, εἶτα μετέςη εἰς Εὔβοιαν. Ne fidem nostram obstringamus hisce rebus.

Abantis filii gemelli, a poëtis celebrati, ornati, ficti refictique, ne tempus perderent in matris iam utero inter se contendisse dicuntur, unde adultos etiam animo hostili fuisse facile credemus. Sed absint hae fabulae, absint bella civilia inter Proetum et Acrisium, redeat in Asiam Jobates cum Lyciis suis, quaerat aliam sibi coniugem Proetus quam Jobatis filiam, pulchram quidem, sed non nimis castam, neque curet filias furentes (vide quantas turbas excitaverint poëtae) et contentus vivat ea regni portione, quae in terrae divisione ipsi evenit, neque invideat fratri gemello alteram portionem. Diviserunt Argolidis imperium ita ut Acrisius Argis, Proetus Tirynthe regnaret, et videtur eadem divisio fuisse, qua antea iam Triopas filiis terram distribuerat. Pausanias II, 25, 6. p. 169 monumentum describit, quod Argis Epidaurum proficiscentibus a dextra est; ἐνταῦθα Προίτῳ περὶ τῆς ἀρχῆς πρὸς Ἀκρίσιον μάχη γίνεται, καὶ τέλος μὲν ἴσον τῷ ἀγῶνι συμβῆναί φασι, καὶ ἀπ' αὐτοῦ διαλλαγὰς ὕςερον, ὡς οὐδέτεροι βεβαίως κρατεῖν ἐδύναντο. Scutis hoc bello primum acies pugnasse dicuntur. Alio loco

(II, 16, 2. p. 145) idem sine ulla contentionis mentione, alios fortasse secutus auctores, divisionem hoc modo factam tradit: οἱ δὲ Ἄβαντος τοῦ Λυγκέως παῖδες τὴν βασιλείαν ἐνείμαντο· καὶ Ἀκρίσιος μὲν αὐτοῦ κατέμεινεν ἐν τῷ Ἄργει, Προῖτος δὲ τὸ Ἡραῖον καὶ Μιδείαν καὶ Τίρυνθα ἔσχε, καὶ ὅσα πρὸς θαλάσσῃ τῆς Ἀργείας. De quanam Argolidis parte τὰ πρὸς θαλάσσῃ τῆς Ἀργείας intelligenda sint, docebit Valcken. ad Herod. V, 68 et Siebelis. ad Pausan. II, 8, 4. Vestigia domus regiae Proeti Tirynthe prostabant adhuc Pausaniae tempore.

Acrisii unica fuit filia, Danaë, quae a Proeto, vel secundum alios a Jove gravida, Perseum peperit, de cuius rebus gestis, peregrinatione et in patriam reditu, quum a poëtis et mythographis satis celebrentur, sileo. Acrisius quum de nepotis reditu timeret, ad Teutamidam Larissae Thessalicae regem abiise, ibique a Perseo, avum videndi cupido, interfectus dicitur; ad hanc urbem sepultum tradunt. Pudore et moerore confectus Perseus quum in patrium imperium redire nollet, Megapenthem adiit, Proeti filium et pacto inito regnum cum ipso commutavit, ita ut ipse Megapenthi Argorum regnum traderet, Tirynthemque cum ditione ab illo acciperet. Sic igitur duo in Argolide regna condita sunt, alterum Tirynthium vel postea Mycenaeum, quod Persei posteris paruit, alterum Argivum, quod in Proetidarum, mox etiam Melampodidarum potestate fuit. Singula nunc persequar.

PARTIS SECUNDAE

CAPUT SECUNDUM.

REGNUM ARGIVUM.

Postquam ea qua narratum est ratione Argorum regnum ad Proetidas pervenerat, primus Argis ex hac familia regnavit Megapenthes, cui successit e Pausaniae et Scholiastae Eu-

ripidei fide Argeus s. Argus, e traditione vero communi Anaxagoras, cuius sub imperio res quaedam accidit, quam memoratu dignissimam in causis veris perspectam non habemus et vix unquam habebimus, de imperii divisione cum Amythaonidis loquor, quae res vel ipsi Pausaniae tam singularis visa est, ut solos Graecorum Argivos in tria regna divisos nosse affirmaret, II, 18, 4. p. 150. Mihi quidem non tam regnum tripartitum videtur mirum, quam divisionis causa; illius enim rei plura in historia Graeca prostant exempla, et ipse Pausanias, parum memor, apposita quaedam tradit; sic v. g. Elidis imperium divisum erat inter Augeam, Amarynceum et Actoridas (V, 1, 7. 8. p. 377); regnum Troezenium inter Aëtium et Troezenem Pittheumque Pelopidas, — *βασιλεῖς μὲν τρεῖς ἀντὶ ἑνὸς ἐγένοντο.* Paus. II, 30, 8. Praecipuas rei gestae narrationes recensebo, unde perspici possit, quomodo fabula sensim sensimque mutata sit.

Ordinem ducat Homerus, qui ut solet. simplicissime rem gestam narrat, et sine illo prodigiorum fastu, quo recentioris aevi scriptores splendorem quaerunt; quare nativam vel certe veritati proxime accedentem fabulae formam exhibere ille putandus est. Duobus praesertim locis hac de re agit Homerus; in Odyssea XI, 287 sqq. et XV, 223 sqq. Nihil ibi neque de Proetidibus neque de mulieribus Argivis furore abreptis; simpliciter dicit:

— *ὁ δ' ἄλλων ἵκετο δῆμον*
Ἄργος ἐς ἱππόβοτον· τόθι γάρ νύ οἱ αἴσιμον ἦεν
ναιέμεναι, πολλοῖσιν ἀνάσσοντ' Ἀργείοισιν·
ἔνθα δ' ἔγημε γυναῖκα, καὶ ὑψερεφὲς θέτο δῶμα. —

Nihil igitur de causa imperii divisi, nisi hanc in verbis *ἔνθα δ' ἔγημε γυναῖκα* quaerere velis — historiam antecedentem hoc loco non moror —, ita ut, quod cum rerum natura maxime convenit, affinitatis iure imperii portionem capessivisse videntur; eodem stemmata quaedam ducere vidimus. Memoratu dignum etiam est, ab Homero Melampodis fratrem quidem memorari, eius vero nomen imperiumque cum eo communicatum silentio plane praetermitti.

Refictam praebet fabulam Pherecydes (ap. Sturz. p. 118. 124 sq.) fortasse ex Hesiodo, quod ideo probabile mihi fit, quoniam Acusilaum ab eadem parte stare video; debemus his Proetides furentes a Melampode sanatas. Tertia classis eorum est, qui quum Anaxagora regnante Amythaonidas in imperii censortium adscitos scirent, Proetides ob aetatis diversitatem aptas non esse videntes, feminas Argivas a Melampode sanatas dicerent. Qua de re supra plura iam dixi; ad quem locum ne longus sim lectorem delego; causa divisionis obscura manet.

Postquam igitur, ut dictum est, Argorum regnum tripartitum erat divisum, Anaxagoras ex antiqua stirpe indigena, et Melampus Biasque Aeolidae advenae, communi quidem, sed parum videtur concordi consilio reipublicae praefuerunt; quomodo enim Anaxagoras oblivisci potuisset, se quum antea imperium integrum possedisset, nunc ad tertiam eius partem esse reductum. Neque possumus infitiari hac divisione Argorum potentiam non solum fuisse debilitatam sed praeterea etiam magnarum calamitatum fuisse causam, quum plura inde bella intestina et externa orta videamus, quibus vel maxime reipublicae vires labefactatae sunt.

Historiam regum e tribus his familiis brevi adumbratione describit Pausanias II, 18, 4. p. 150, sed ita ut facile offendat lector attentus ob ambiguitatem vocis γὲνεαί. Dicit enim e Biantis stirpe regnasse viros quinque ἐπὶ γενεὰς τέσσαρας; e Melampodis familia viros sex, γὲνεαί τε ἕξ; Anaxagoridas regnum longiore tempore retinuisse usque ad Cylarabem; γενεῶν numerum non addit. Fuerunt autem hi reges e Pausaniae stemmatibus: *)

*) Lineola simplici indicavi successionem a patre ad filium, duplici successionem ad fratrem et patruelem.

Bias	Melampus	Anaxagoras
|	|	|
Talaus	Mantius	Alector
|	|	|
Adrastus	Oicles	Iphis
|	|	‖
Aegialeus	Amphiaraus	Sthenelus
|	|	|
Cyanippus	Alcmaeon	Cylarabes.
	‖	
	Amphilochus.	

Si obiter tantum Pausaniae locum et hanc tabulam inspicimus, quum a Biante ad Cyanippum non quatuor, sed quinque, et a Melampode ad Amphilochum non sex sed quinque generationes (a patre ad filium) videamus, extra dubium positum videri potest, γενεάς non generationes, sed aetates significare. At enimvero si accuratius examinamus, hanc computationem minime constare videbimus. Quod si enim singulas aetates 33 annorum computamus. a Biante usque ad Cyanippum 133 anni forent; a Melampode ad Amphilochum anni ducenti. Amphilochus autem post bellum Troianum (cui num interfuerit necne in dubio hic relinquo) relicta patria Argos Amphilochicum condidit. Thucyd. II, 68. Pausan. II, 18, 4. Apollod. III, 7, 7, 4. p. 300; Cyanippum vero Aegialei filium ob aetatem impuberem bello eidem non interfuisse docet Pausanias II, 30, 9. p. 183 *); et e nostro Pausaniae loco concludere possumus, eum post Sthenelum mortuum esse, ergo plures annos post bellum Troianum. Quibus argumentis clare satis probatur Amphilochum et Cyanippum aequales fuisse, ita tamen ut Amphilochus natu maior esset; nam Amphiaraus pater eius bello Thebano primo periit, tricesimo fere ante bellum Troianum anno; ergo tricenarius quasi erat Amphilochus, dum Cyanippus impubis adhuc erat. Quae omnia si complectimur, quomodo tandem a

*) Hoc Pausaniae loco interpunctio mutanda videtur; vulgata haec est: Διομήδης γὰρ καὶ Εὐρύαλος ὁ Μηκιστέως, Κυάνιππον τὸν Αἰγιαλέως παῖδα ὄντα ἐπιτροπεύοντες, Ἀργείων ἡγήσαντο ἐς Τροίαν. Equidem παῖδα ὄντα a reliquo contextu virgulis separandum puto.

Biante usque ad Cyanippum quatuor, a Melampode ad Amphilochum sex aetates esse potuerunt? Biantis et Melampodis familias in **Argolide** eodem fere tempore exstinctas esse, vix est quod dubitemus; idque non ita longo tempore post bellum Troianum. Ceterum de hoc Amphilocho eiusque colonia Argos Amphilochicum deducta, et de tempore coloniae deductae, alia infra proponetur coniectura, qua tamen argumentatio proxime antecedens minime tollitur.

Jam si quaeritur quomodo mihi Pausaniae ille locus explicandus videatur, hanc propono coniecturam, quae tamen, quod ingenue fateor, nec mihi omnino satisfacit. Pausanias hac computatione alios secutus est auctores quam in reliquis locis, ubi Biantis et Melampodis genealogiam exposuerat. Fuisse qui Cyanippum Aegialei non filium sed fratrem perhiberent, supra ex Apollodoro docui; quod si probamus, a Biante ad Cyanippum quinque viri erunt, quatuor generationes (a patre ad filium). In altera gente expressis quidem verbis auctor noster computat generationes a Melampode usque ad Amphilochum **Amphiarai filium**; adaptavit, puto, Pausanias genealogiam suam computationi illius auctoris quem hic sequitur, neque animadvertisse videtur, genealogiam illam cum computatione non congruere. Haud raro a veteribus Amphilochum Amphiarai filium confundi cum Alcmaeonis filio, facili opera comprobatur *). Jam quum Alcmaeo-

*) Sic v. g. Argos Amphilochicum Paus. II, 18, 4. Thucyd. II, 68 ab Amphilocho Amphiarai filio conditum narratur; Apollod. III, 7, 7, 4. (cf. quae infra de hoc loco dicentur) et Tzetz. ad Lyc. 440. p. 53 b. — ad 980 p. 108 a. ab Amphilocho Alcmaeonis filio. Omnino in tota hac Tzetzae expositione duo Mopsi et duo Amphilochi pluries confusi videntur. — Ne ad Apollodori locum dictum redeundum sit, observationem de eo hic apponam. Heynius ex **Euripidis opinione** Argos Amphilochicum ab Amphilocho Alcmaeonis filio conditum autumat; quae quidem sententia Apollodori verbis neutiquam inest. Euripidis opinionem retulerat oratione obliqua; mox transit ad orationem rectam καὶ Ἀμφίλοχος κ. λ., quo demonstrat, hanc suam ipsius esse sententiam. Quod si verum est (et verum esse vix dubium crediderim) Amphilochus hic Alcmaeonis non

nem fratrem natu maiorem fuisse sciamus, ad eius filium potius quam ad Amphilochum fratrem transiisse imperium a veri similitudine non multum recedit. A Melampode vero usque ad Amphilochum, Alcmaeonis filium, sex sunt viri, totidem generationes. Recte sic ab Anaxagoridis generationum numerus abest, quia post Iphidis mortem ad aliam lineam transit imperium.

De proxima Argorum historia loci classici sunt, praeter Pausaniam, Eustathius ad Hom. Il. II, 568. p. 288 et Schol. Pind. Nem. 9 l. d. Eustathius auctores suos non laudat nominatim, sed dicit tantum τοιαῦτα τὰ τῆς ἱςορίας, ἥν οἱ ἐκθέμενοι φασί; Pindari Enarrator quaedam refert e Menaechmo, quaedam e narratione vulgari. Varias relationes si inter se comparamus, hoc modo res gestae videntur:

Anaxagorae successit Alector; quo mox mortuo Iphis filius successit puer admodum, quod in causis fortasse est, quare Eustathius Alectore omisso Iphidem Anaxagorae subiungit filiumque appellat quem nepotem debuisset. Bianti Talaus successit, Melampodi aut Mantius (e Pausaniae mente) aut Antiphates (secundum Homerum et Diodorum Siculum) aut denique Oicles s. Jocles (ex Eustathio). Fortasse etiam secundae generationis reges minus memorabiles hi fuere: Alector, Antiphates Mantiusve et Perialces (Pherecyd.); tertiae generationis Iphis, Oicles et Talaus. Utut autem haec res se habeat, Iphide (sub tutela fortasse) Oicle et Talao regnantibus discordia inter reges exorta est, qua usus Talaus, oppressis Iphide et Oicle, solus imperium usurpavit (Eustath.) nec vero diu id obtinere potuit. Amphiaraus enim quum, orta cum Adrasto contentione (διαφορὰ ἐγεννήθη τοῖς

est filius sed frater. Omnino locus corruptus mihi videtur, fortasse etiam mutilus (nam quae Tzetzes l. l. p. 53 ex Apollodoro laudat, ea — non sana quidem — ad hunc locum pertinere videntur). Fortasse verba illa in fine capitis: καὶ Ἄμφίλοχος ᾤκησεν (l. ᾤκισεν), hoc loco aliena, transponenda sunt ad finem sectionis 7, §. 1. post κτίζουσι Ἀκαρνανίαν — καὶ Ἀμφίλοχος κ. λ. Ordo aptior foret.

περὶ Ἀμφιάραον καὶ Ἄδραστον. Schol. Pind.) in qua Talaus filii partibus plus quam iustum erat favisse videtur, omnes factionis Melampodidarum et Anaxagoridarum asseclas sibi adscivisset, Talaum interfecit (Menaechm., Schol. Pind., Eustath.) et, Adrasto excluso, Pronactem regem constituit, Iphidemque, ut videtur primo certe tempore, restituit; nam quum Anaxagoridarum auxilio (Menaechm.) imperium suum recuperasset, vix est credibile, e Biantiadarum gente regem ab ipso institutum esse, reiecto Anaxagorida, qui ab eius partibus steterat. Adrastus Sicyonem aufugit ad Polybum, avum maternum; Amphiaraus vero, mortuo mox Pronacte et posthabita Iphidis auctoritate, solus regnare instituit *). Adrastus interea quum a Polybo avo (eodemque, si Pindari Scholiastae fidem habemus, socero) benigne exceptus et post mortem regni heres institutus esset, restauratis viribus et inita cum Iphide societate, imperium paternum recuperare conatus est **). Quae quidem expeditio e votis ipsi successit et

*) Eustathius haec ita contraxit: ὕστερον δὲ Ἀμφιάραος ὁ τοῦ ῥηθέντος Ἰοκλέος, ἄρχει, Ταλαὸν ἀνελών. De Iphide expulso nihil habet, et tamen in sequentibus Adrastum ἅμα Ἴφιδι expeditionem contra Amphiaraum fecisse refert; quod quomodo fieri potuerit, ex Eustathii narratione parum liquet; fortasse ita ut in contextu rem narravi difficultas tollitur. Cuique harum rerum gnaro, quales et quantae difficultates sint in inquirenda antiquitate constabit, saepissimeque fructum studiorum assiduorum nullum esse praeter coniecturas magis minusve probabiles. — Nisi iusto audacius esset de lectione loci e contextu suo avulsi iudicare, apud Menaechmum inserto οὐ legerem: χρόνου παρελθόντος οὐ πολλοῦ.

**) Polybus sine prole mascula obierat, itaque Adrasto genero et nepoti Sicyonis imperium reliquit. Herod. V, 67. — Homerus Il. II, 572 Sicyonem commemorat urbem, ὅθ' ἄρ' Ἄδρηστος πρῶτ' ἐμβασίλευεν. Id quomodo sit explicandum ambigitur, quum ab aliis longa series regum Sicyonis usque ad Polybum recenseatur. Eustathii explicatio minus mihi placet, sic locutum esse Homerum, quia Adrastus Argis pulsus ὑπέταξεν αὐτοὺς οὐκ εἰωθότας ἄρχεσθαι· διὸ πρῶτα ἐμβασιλεύειν ἐῤῥέθη διὰ τὸ αὐτῷ πρώτῳ ἐκείνους ὑποταγῆναι. Mihi potius sensus esse videtur, non,

in imperium restitutus est, sive victoria reportata id effecerit (ἐπιςρατεύσας Ἀμφιαράῳ καὶ νικήσας, Eustath.) sive foedere inito ea conditione ut Amphiaraus Eriphylen Adrasti filiam duceret, (ὕςερον μέντοι συνεληλύθασι πάλιν ἐφ' ᾧ συνοικήσει τῇ Ἐριφύλῃ ὁ Ἀμφιάραος Schol. Pind.), sive denique foedere icto post victoriam reportatam. Hoc modo Argorum regnum tripartitum denuo est divisum inter Amphiaraum Melampodidam, Adrastum Biantiadem et Iphidem Anaxagoridam.

Pervenimus nunc ad tempora belli Thebani, quod simul cum eo quod Epigonorum nomine insigne est, armamentarium quasi principale est e quo poëtae epici et tragici certatim carminum materiam petiere abundantem. Placuere sibi poëtae in describendis heroum armis, pugnis rebusque gestis, in dispositione exercituum, ducumque ante portas septem Thebarum collocatione; quo factum est ut quamvis in recensendis ducum nominibus differant, ob numerum portarum urbis oppugnatae, in heroum tamen septenario numero omnes convenirent. Quod attinet ad tempus quo bellum Thebanum primum gestum est, ex Homero id facile deducitur. Dicit enim Diomedes VI, 222:

Τυδέα δ' οὐ μέμνημαι· ἐπεί μ' ἔτι τυτθὸν ἐόντα
κάλλιφ', ὅτ' ἐν Θήβῃσιν ἀπώλετο λαὸς Ἀχαιῶν.

Puerulus igitur erat Diomedes, quum in id bellum profectus est Tydeus; Diomedes ipse iuvenis adhuc bello Troiano interfuit; decimo enim huius belli anno Nestor Diomedi dicit, Il. IX, 57:

ἦ μὴν καὶ νέος ἐσσί, ἐμὸς δέ κε καὶ παῖς εἴης
ὁπλότατος γενεῆφιν. — —.

Quae si perpendimus, Diomedem belli Thebani tempore vix quinquennem fuisse, idque bellum non ante tricesimum annum ante belli Troiani initium gestum esse, concedamus ne-

Sicyonios primum ab Adrasto regnatos esse, sed Sicyonem urbem esse, qua primum regnaverit Adrastus; postea enim Argorum etiam rex factus est. Fortasse etiam priores Sicyonis reges sub ditione Argivorum fuerant, Adrastus vero primus proprio iure regnavit.

cesse est; homini enim plus quam triginta quinque annos nato vix dixisset Nestor ἦ μὴν καὶ νέος ἐσσί. Epigonorum bellum decimo anno post primum illud, inceptum esse docet Apollodorus III, 7, 2, 1. p. 292, et amplectuntur hanc computationem plerique omnes. At si Homerum audimus id spatium nimis angustum esse facile videbimus. Interfuit enim Epigonorum bello Diomedes et dux copiarum urbem cepit heptapylam. Hom. Il. IV, 399 sqq. Quis vero sibi persuadebit puerum vix quindecim annos natum belli ducem fuisse? Non multum errabimus si Epigonorum bellum anno decimo quinto post bellum Thebanum primum, inceptum esse ponimus.

Duces omnes vinculo affinitatis iuncti erant, ut stemmata docent, praeter unum Parthenopaeum, cuius genus ambigitur, quum alii Talai, alii Milanionis et Atalantae filium, Arcadem perhibeant. Singulos locos praecipue poëtarum hic adscribere operae pretium non videtur; id tamen silentio praetermittere nolui, ab Euripide in Phoenissis 1153 expressis verbis et per oppositionem, Arcadem vocari non Argivum, et Atalantae filium — ὁ δ' Ἀρκὰς, οὐκ Ἀργεῖος, Ἀταλάντης γόνος —. Pausanias II, 20, 4. p. 156 et IX, 18, 4. p. 746 Talai filium agnoscit; III, 12, 7. p. 237, de alia re agens Milanionis habet filium; et IX, 9. p. 728 in brevi belli Thebani descriptione ad Parthenopaeum Arcadem propensus videtur; quamvis enim id nomen ibi non commemoratur, socii tamen ab Adrasto ex Arcadia adsciti, non obscure innuunt, Parthenopaeum Arcadem magis ei arrisisse.

In recensendis ducum nominibus non convenire auctores, tritum est; omnes tamen ad quatuor potissimum classes reduci posse videntur.

I.	II.	III.	IV.
Amphiaraus	Amphiaraus	Amphiaraus	Amphiaraus
Capaneus	Capaneus	Capaneus	Capaneus
Hippomedon	Hippomedon	Hippomedon	Hippomedon
Parthenopaeus	Parthenopaeus	Adrastus	Parthenopaeus
Adrastus	Eteoclus	Eteoclus	Adrastus
Tydeus	Tydeus	Tydeus	Eteoclus
Polynices	Polynices	Polynices	Mecisteus.

Videmus hoc prospectu in Amphiarao, Capaneo et Hippomedonte omnes convenire, in reliquis quatuor dissentire. Primam classem tuentur Apollodorus III, 6, 3, 2. p. 280 et Eurip. Phoenn. 1106 sqq. — secundam tragici tres Aeschylus VII c. Theb. 365 sqq., Sophocl. Oedip. Col. 1310 sqq. et Euripides parum sibi constans, Suppl. 860 sqq. — tertiam classem Pausanias X, 10, 2. p. 821, hîc quidem fabulam a poëtis inventam et divulgatam secutus; aliis enim locis alios etiam nominat duces, v. g. Parthenopaeum IX, 18, 4. p. 746; Mecisteum IX, 18, 1. p. 745. Bene idem monet II, 20, 4. p. 156 plures quam septem fuisse duces, quum praeter Argivos plures etiam e Messenia et Arcadia huic expeditioni interfuerint; ad numerum septenarium vero reductos esse ab Aeschylo, quem alii omnes secuti sint ipsique adeo Argivi. Quum autem videamus duces ab Aeschylo dispositos esse secundum numerum portarum, hoc ipso comprobatur quod supra dixi de numero ducum septenario ad portarum numerum efficto. Classem denique quartam ii tenent, qui Apollodoro (l. d.) teste, omisso Tydeo et Polynice Eteoclum et Mecisteum ducibus septem adnumerant, ea fortasse commoti ratione quod Tydeus et Polynices ad Adrastum profugi et ab eo in imperium restituendi, exercitus duces fuisse non sunt visi.

Notissima est causa belli, maximi quod Graeci inter sese heroum temporibus gessere, quum e media Peloponneso, ut dicit Pausanias, in mediam Boeotiam exercitus duceret Adrastus, neque Argivos tantum, sed Arcades etiam et Messenios socios, contra haud spernendas Thebanorum copias qui et ipsi e Phocensibus et Minyis auxilia petierant. De Arcadibus qui Parthenopaeo duce in belli societatem venerant, dictum iam est; de Messeniis neque qua ratione commoti neque quo duce venerint inveni. Sicyoniorum hoc bello partem fuisse per se manifestum est, quum Adrasti imperio parerent. Neque tamen validis his auxiliis satis fidebant Argivi, sed Mycenarum etiam quaesivere societatem, irrito quidem conatu. Tydeus enim et Polynices quum ante expedi-

tionem Mycenas venirent auxilia petituri, atque Mycenaei ad auxilia ferenda iam essent promtissimi, a consilio deterriti sunt malis ominibus, referente Homero Il. IV, 376 sqq. Fuit tum temporis Mycenarum rex Agamemnon, infans adhuc, sub tutela Thyestae — Eustath. ad Hom. Il. IV, 376. p. 484, 25. cf. ad Il. II, 106. p. 184, 25 — quem necessitudinis vinculo cum Amphiarai familia iunctum videmus ex Eustathio ad Hom. Il. II, 566. pag. 288, 40 *). Quare quum invitissimum et quasi coactum huic expeditioni Thebanae se addixisse sciamus Amphiaraum, ab hoc ipso instigatum auxilia recusasse Thyestem, ominaque praetendisse haud improbabilis videtur coniectura.

Quum itaque infecta re rediissent Tydeus et Polynices, ad Asopum castra posuere Argivi. Hom. Il. IV, 382 sqq. X, 285 sqq. legatumque miserunt Tydeum ad Eteoclem, ut si fieri posset, absque bello rem componeret — αὐτὰρ ὁ μειλίχιον μῦθον φέρε Καδμείοισιν —; sed et haec legatio effectu caruit. Rediens Tydeus a Thebanorum cohorte ex insidiis invasus, praeter unum omnes occidit. Belli ipsius copiosior descriptio a consilio meo aliena est; loci de eo primarii sunt Pausan. IX, 9. Apollod. III, 6, 3 sqq. Diodor. Sic. IV, 64; interpretes ad hos locos plura dabunt. Perierunt, ut fama fert, praeter Adrastum reliqui duces omnes, interfecti ab alio alius, neque tamen sine magna Thebanorum strage, unde proverbium Καδμεία νίκη (Pausan. IX, 9, 1), quamvis ab aliis aliter huius proverbii significatio explicatur. Cf. Eustath. ad Hom. Il. II, 851. p. 361. — ad Il. IV, 407. p. 490. ad Od. XXII, 285. p. 1927. Adrastus Arionis equi celeritate solus servatus est. Huius equi laudes, genus et historia e celebratissimis sunt. V. Hom. Il. XXIII, 346. ib. Eustath. p. 1304. Pausan. VIII, 25, 5. p. 650, ubi Iliadis, Thebaidis et Antimachi versus excitantur; Apollod. III, 6 fin.

*) Ex his Eustathii verbis: τοὺς γὰρ τοῦ Ἀμφιαράου ὑπενόει, τουτέςιν ὑπώπτευεν, ὡς φίλους Θυέςου videmus eum auctoris sui excitare ipsissima verba, quum vocabuli ὑπενόει explicandi causa addat τουτέςιν ὑπώπτευεν.

cf. Schellenb. ad Antimach. p. 65 et 23 et quos Sturz. laudavit ad Hellanici frr. p. 140.

Interea Argis morbo mortuus erat Iphis — Eustath. l. d. p. 288 — et quum Eteoclus filius bello occubuisset, aliaque eius proles mascula non prostaret (de Melonte enim Eteocli filio ab Eustathio ad Hom. Il. IV, 407. p. 489 commemorato auctores reliqui silent), ad Sthenelum Capanei filium et Iphidis ex Euadne filia nepotem, Proetidarum transiit imperium. — V. Paus. II, 18, 4, de affinitate eius Apollodori stemma supra appositum. — In Amphiarai locum successere Alcmaeon et Amphilochus filii, fortasse primus tantum, ut natu maximus.

Non ita longo tempore post bellum Thebanum primum exarsit secundum, quod Epigonorum nomine inclytum est. De duce ambigunt. Pausan. I, 43, 1. pag. 103 et Pindar. Pyth. 8, 67 Adrastum nominant; Apollodorus III, 7, 2. p. 292 Alcmaeonem; Euripides Suppl. 1223 Aegialeum et Diomedem. In Epigonorum neque numero neque nominibus inter se conveniunt auctores, quum novenarium alii numerum, alii septenarium, alii denique alium exhiberent. Tragici septenarium maxime fovisse videntur, eadem de causa qua bello primo et hos haud dubie secuti sunt Argivi in dedicando Delphis donario — Pausan. X, 10, 2. p. 821 —; fuerunt statuae Stheneli, Alcmaeonis, Promachi, Thersandri, Aegialei, Diomedis, Euryali. Alio loco, II, 20, 4. p. 156 idem iterum ex Argivorum donariis hos recenset: Aegialeum, Promachum, Polydorum, Alcmaeonem Amphilochumque, Diomedem, Sthenelum; porro Euryalum, Polynicis denique filios Thersandrum, Adrastum et Timeam. Apollodorus tragicos videtur secutus; certe eosdem recenset quos Pausanias primo loco, nisi quod addit Amphilochum Alcmaeonis fratrem. Eustathius ad Hom. Il. IV, 407. p. 489 novem recenset e fabula, videtur, maxime vulgari — ἐννέα δέ φασιν εἶναι τὸν ἀριθμὸν τους ἐπιγόνους —, Aegialeum, Thersandrum, Diomedem, Sthenelum, Alcmaeonem Amphilochumque, Stratolaum, Polydorum et Melontem. Pherecydes, ap.

Schol. Hom. Il. XIII, 663, cum Epigonis laudat Euchenorem et Clitum, e Melampodidarum genere, οἳ Θήβας εἷλον σὺν τοῖς Ἐπιγόνοις; alii denique fortasse alios, quos omnes colligere supervacaneum opus foret.

De bello ipso loci sunt primarii Apollodorus III, 7, 2 sqq. p. 292. Pausan. IX, 9, 2. p. 729. IX, 5, 7. p. 723 et passim, Diodor. Sic. IV, 66. cf. Heyne ad Apollod. d. l. Maioribus etiam quam primum viribus hoc bellum gestum autumat Pausanias, quum praeter Argivos et Messeniorum Arcadumque subsidia, Corinthiorum quoque et Megarensium copiae contra Thebanos pugnaverint, Thebani vero finitimis sociis uterentur. Ex Arcadibus huic expeditioni interfuere Alcmaeonis gratia Psophidii, teste Pausania VIII, 24, 4. p. 647. Qua tota in re Thebaidis auctorem secutus videtur, quum carmen illud excepta Iliade et Odyssea prae reliquis omnibus sibi maxime placuisse, in sequentibus statim testetur Pausanias, idque a Calaeno (s. Callino) multisque aliis fide dignis Homero tribui referat (IX, 9, 3. p. 729). At hac certe in re Homerus cum Thebaidis auctore non concinit. Gloriatur enim Sthenelus Hom. Il. IV, 405 sqq.

ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι·
ἡμεῖς καὶ Θήβης ἕδος εἵλομεν ἑπταπύλοιο,
παυρότερον λαὸν ἀγαγόνθ' ὑπὸ τεῖχος Ἄρειον,
πειθόμενοι τεράεσσι θεῶν καὶ Ζηνὸς ἀρωγῇ·
κεῖνοι δὲ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο.

Non maioribus igitur copiis gestum est hoc bellum (quibus ne indigebant quidem Argivi, quum non ob exercitus exilitatem sed ob imperitiam in oppugnandis urbibus — acie enim vicerant Argivi — prima expeditio eventu prospero caruisset), sed παυρότερον λαὸν ἀγαγόντες Argivi duces ad Glissantem primum Thebanos vicerunt; deinde primo impetu ceperunt urbem. Occisus est e ducibus solus Aegialeus, Adrasti filius; mox Adrastus, quum exercitum victorem reduceret, in agro Megarensi senectute et moerore de filii morte consumtus diem obiit, Pausan. I. 43, 1. Dieutychidas Megaricorum tertio (Schol. Pind. Nem. 9), Megaris sepultum refert; tumu-

lum vero eius, quem Sicyonii monstrant, nonnisi cenotaphium esse.

Redux e bello Thebano Alcmaeon — cum Amphilocho sunt qui referant — Eriphylen matrem occidit, ut patris mortem ulcisceretur, qui artibus uxoris a Polynice donis corruptae compulsus in bellum profectus perierat; quam rem fusius descriptam legere qui cupit, adeat Apollodorum III, 6, 2. p. 278 (et medelam si potest adferat loco corruptissimo) et Eustath. ad Hom. Od. XI, 325. p. 1689 *), qui tamen ante Epigonorum bellum id factum refert. Caede patrata Alcmaeon matris instigatus furiis, in Arcadiam abiit ad Oiclem, Apd. III, 7, 5, 3. p. 295. De huius Oiclis neque familia neque urbe patria constat. Pausanias tumulum eius,

*) Obiter quaedam de fatali illo monili ac peplo, quod feminae vanitate marito filio sibique ipsi perniciem peperisse traditur. De prima eorum historia v. Apollod. III, 4, 2, 3 et Hellanic. frr. CIII. a. p. 140 Sturz. Hereditate praeclara illa ornamenta ad Polynicen pervenerant, qui eis usus Eriphylen corrupit, ut Amphiaraum nolentem ad bellum instigaret, quamvis periturum sciret. Bis eam corruptam, primo monili ut Amphiarao persuaderet, deinde peplo ut Alcmaeonem ad bellum commoveret, narratur ab Apd. III, 6, 2. III, 7, 2. Pausan. II, 1, 7. p. 113, haud dubie e Tragicorum fabula parum probabili; Homerus quidem, Od. XI, 327, ubi commemorat ςυγερὴν Ἐριφύλην, de marito tantum eius perfidia circumvento dicit: ἣ χρυσὸν φίλου ἀνδρὸς ἐδέξατο τιμήεντα; alioque loco, Od XV, 247 idem de Amphiarao tantum dicit, mortuum esse γυναίων εἵνεκα δώρων. Monile Delphis dedicatum est Pausania referente VIII, 24, 4. p. 647. IX, 41, 2. p. 796 a Phegei liberis; Apollodoro teste III, 7, 6. p. 298. Phegei filii quum in eo essent ut monile Delphos deportarent, ab Amphotero et Acarnane, Alcmaeonis e Callirrhoë filiis occisi sunt, et ab his Acheloo iubente monile cum peplo Delphis dedicatum est. Eustathius denique ad Od. XI, p. 520. p. 1697, 40 ab Alcmaeone ipso, tanquam expiationis pretium ab Apolline postulatum, id dedicatum tradit. Peplum Gabalis asservari narrat Pausanias II, 1, 7. Apollini igitur dedicatum esse haud ambiguum est; a quo autem alii aliter referunt. Neque monile tum, neque peplum ulli amplius exitio fuit, ita ut vere poëta vernaculus: die Kirche hat einen guten Magen.

siquidem idem est, vidit prope Megalopolim Arcadiae, VIII, 36, 4. p. 673 *); sed Alcmaeonem ad hunc venisse non tradit. Abiit inde Phegiam ad Phegeum a quo lustratus Arsinoën (Alphesiboeam, Pausan.) Phegei filiam duxit, eique monile cum peplo dono dedit. Jam antea Phegiae (s. ut postea dicta est, Psophidis) reges Alcmaeoni affinitate et necessitudine iuncti fuerant, quare belli Thebani socii, expeditioni contra Troiam ob Atridarum odium non interfuerunt, Pausan. VIII, 24, 4. Ab affinitate iunctis expiatio caedisque lustratio expeti solebat. At sive aqua lustralis matris furias non compescuit (Pausan.), sive Psophidiorum terra fruges non edidit (Apd.), Apollinis oraculo ductus Phegia relicta Calydonem ad Oeneum se contulit, cum quo affinitate iunctum fuisse stemmata contestantur; — fuit enim Hypermnestra Alcmaeonis ava, Thestii Aetoli filia, qui quidem Oenei

*) De hoc Oicle dubito, dubitarunt iam alii; duo homines eiusdem nominis confusi videntur, alter Amphiarai pater, alter Arcas hic. Herculis in expeditione Iliaca socius haud dubie Amphiarai ille pater fuit, non Arcas, ut temporum docet ratio historiaeque tenor; nam socio certe navali navium custodiam commisit Hercules (Apd. II, 6, 4. p. 207) neque vero homini Arcadi harum rerum imperito; maioris vero momenti est temporum ratio; Amphiarai pater in vivis esse non amplius potuit, neque certe in agro Troiano occisus in Arcadia sepultus est. Quae res Pausaniam etiam advertit, dubitansque addit: εἴ γε δὴ ἐπέλαβεν αὐτὸν τὸ χρεὼν ἐν Ἀρκαδίᾳ, καὶ μὴ τῆς ἐπὶ Λαομέδοντα Ἡρακλεῖ ςρατείας μετασχόντα. Rectius fortasse de persona Oiclis dubitasset. Apud Diodorum Siculum IV, 32. p. 277 Oicles, Amphiarai filius Herculis in expeditione Iliaca socius nuncupatur, ubi tamen Palmerius probante Wesselingio τοῦ Ἀντιφάτου reposuit. At vereor ne Diodorum correxerit vir doctissimus, non librarios. Stemmata habemus nimis mutila, et facile fieri potuit, ut Amphiaraus praeter Alcmaeonem Amphilochumque tertium haberet filium avi nomine Oicles appellatum, qui quum nescio qua de causa in Arcadiam abiisset, a genealogiarum scriptoribus Argivis neglectus in oblivionem abiit. Hunc Diodorus cum alio Oicle, Herculis socio confudit; ad hunc, fratrem, confugit Alcmaeon, ab hoc subsidia venere ad bellum Thebanum, hic prope Megalopolim sepultus est.

cognatus est —; inde in Thesprotiam; denique intellecto oraculo in Acheloi alluvione consedit — Pausan., Apollod. ll. dd. Thucyd. II, 102 — et Callirrhoën Acheloi filiam duxit. Quae quum monile peplumque efflagitaret, ea repetiturus Psophidem rediit et accepto iam eo quod falso praetextu a Phegeo expetierat, mox comperto secundo matrimonio et sororis repudio, ab Arsinoae fratribus (Pronoum et Agenorem nominat Apollodorus III, 7, 6, 2; Temenum et Axionem Pausanias VIII, 24, 4) occisus est; sed non longo tempore post et ipsi ab Alcmaeonis e Callirrhoë filiis, patris caedem ulturis interfecti sunt cum Phegeo eiusque uxore. Reduces deinde Acarnan et Amphoterus in terram ad Acheloi ostia a patre occupatam, ibi regnarunt; terraeque ab Acarnane Acarnaniae nomen inditum est. Thucyd., Pausan., Apd. ll. ll. Ecce quantae turbae et caedes e monili et peplo ortae! ita ut vere de hac re dicat Pausanias: ἐς ἐπιθυμίας ἀνοήτους πολλοὶ μὲν ἄνδρες, γυναῖκες δὲ πλέον ἐξοκέλλουσιν.

Post Epigonorum bellum reipublicae Argivae conditio haec fere fuit. Reges fuerunt Sthenelus Capanei filius, Anaxagorida; e Melampodidis Amphilochus, Alcmaeonis sive frater is fuit sive filius; e Biantis genere Cyanippus, Aegialei filius infans; sed ad finem iam tendebant tres hae familiae, bellis vexatae internis et externis, debilitatae divisionibus, destructae discordia, et quasi ante portas vigebat praepotens Agamemnonis imperium, qui mox rebus Argivis suam interposuit auctoritatem. Supra dictum iam est necessitudinem quandam exstitisse inter Thyestae et Amphiarai familias, quae occasionem praebuisse videtur Agamemnoni, ut Argivis se immisceret rebus; de alia certe causa non constat. Relatum vero legimus — Eustath. ad Hom. Il. II, 566. p. 288, 34 sq. — Agamemnonem occupasse Argorum regnum, sed ante expeditionem Iliacam pristinis regibus id restituisse, ita tamen ut exclusis Amphiarai posteris, quos Thyestae partibus favere suspicabatur, e Proetidis Sthenelum, e Talaonidis Euryalum et praeterea ob duplicem cum Adrasto affinitatem,

Diomedem reges constitueret; quocum tamen non omnino consentit Pausanias, qui II, 30. 9. p. 183 Euryalum et Diomedem non reges, sed Cyanippi regis tutores tantum fuisse affirmat; veriore fortasse titulo, quamvis ex Homero haec lis dirimi nequeat. — Argorum custodia Sthenelo, Cometae filio, tradita, (Eustath. ad Hom. V, 412. p. 566 init.) de quo in Aetolicis.

Parum contentus hac rerum constitutione Amphilochus cum factione sua ad Alcmaeonem fratrem vel ad Acarnanem eius filium, abiit et Argos Amphilochicum condidit. Secundum alios ab Amphilocho Alcmaeonis filio id factum esse, supra monui. Me quidem non fugit, hanc coloniam deductam ab auctoribus fide dignissimis ad tempora post Troiam eversam referri, a Thucydide II, 68. Pausan. II, 18, 4; sed facilis est error in his antiquitatis quaestionibus. Thucydides sic narrat: Amphilochus, Amphiarai filius, Argos Amphilochicum condidit μετὰ τὰ Τρωϊκὰ οἴκαδε ἀναχωρήσας καὶ οὐκ ἀρεσκόμενος τῇ ἐν Ἄργει καταςάσει. At quaenam tandem illa constitutio fuit, quae post bellum Troianum tantopere displicuerit Ampqilocho ut relicto imperio paterno ad Acarnanes abiret? Si ante id bellum emigrasse ponimus, causa in promtu est; e patrio enim regno depulsum Argis privatum degere noluisse Amphilochum, haud difficulter credemus. Quaeritur deinde num Amphilochus expeditionis Troianae socius fuerit, quod vix credo. Primo enim loco Homerus in tota Iliade Amphilochi mentionem non facit; — ut taceam in Catalogo inter duces eum non recenseri; quippe quod fieri non potuit, si privatus erat; Catalogus 564 sqq. Sthenelum, Euryalum et Diomedem nominat, qui, ob virtutem haud dubie omnium princeps perhibetur —. Deinde cui tandem probabile videbitur, Amphilochum, Amphiarai filium, socii Thyestae, ab Agamemnone regni paterni privatum, vires vitamque expeditioni dedicasse quae gloriam et potestatem Atridarum maxime spectabat? — Cui denique probabile videbitur, Alcmaeonis fratrem, Amphiarai filium, bello interfuisse, cuius socii esse Psophidii Arcades recusa-

runt ob Alcmaeonis studium et Atridarum odium? Paus. VIII, 24, 4. Quae causae me commovent, ut Amphilochum bello Troiano non interfuisse, et coloniam ab eo ante id bellum deductam esse, credam. Omnino fabula antiqua circa Amphilochum non parum variat. Alii enim simul cum Mopso post Troiae eversionem (?) in Ciliciam venisse Amphilochum, Amphiarai filium, memoriae tradiderunt; mox vero contentione de imperio inter coloniae conditores orta, invicem se occidisse, quod ex Euphorione docet Tzetzes ad Lycophr. Cass. 440. p 53 b. *) Alii non cum Mopso coloniam condidisse, sed post Troiam captam ventis in Ciliciam ad Mopsum delatum, imperiumque ambientem a Mopso occisum esse, cui ipse eodem tempore mortem intulerit, scriptum reliquerunt; (Tzetz. l. d. ex Apollodoro) qua quidem a parte Herodotus stare videtur. cf. III, 91 et VII, 91; ubi cum Calchante in Pamphyliam delatus narratur. Alii denique, in quibus Thucydides et Pausanias, res Pamphylicas ignorantes, Argos Amphilochicum ab eo conditum narrant. Plures Amphilochos hac fabula confundi mihi vix est dubium.

Hoc modo Melampodis gens ex historia Argiva recedit; Cyanippus sine prole mortuus est; itaque Cylarabes, Stheneli filius solus imperium obtinuit, Pausan. II, 18, 4; sed nec hic prolem habuit, quare exstinctis tribus regiis familiis ad Pelopidas, Mycenarum reges, et quidem ad Orestem, regnum pervenit; et Argolis a Proeto divisa uni iterum paruit.

Antequam ad Mycenarum historiam progredimur uno quasi obtutu imperii Argivi ambitum et fines inspiciamus, quales ab Homero belli Troiani tempore describuntur. Statim nos advertit, hanc descriptionem omnino recedere ab ea quam a Proeto factam legimus apud Pausaniam II, 16, 2.

*) Tzetzes triplicem hanc fabulae formam exponens, secundum lectionem editionis Oxon., quam Heynius etiam expressit in Fragmm. Apollod. p. 386, sic habet: καὶ οὕτω μὲν οἱ πολλοὶ φασὶν, ὅτι μετὰ Μόψον ἀπῆλθεν εἰς Κιλικίαν Ἀμφίλοχος; haud dubie legendum est μετὰ Μόψου, quod sensus flagitat. In sequentibus recte Heynius post Ἀπολλόδωρος inseruit ὅτι.

Secundum hanc partitionem altera portio complexa est Argos et haud dubie circa Erasinum terras; altera Heraeum (id quidem commune erat, sec. Strab. VIII, p. 569 sq.) Mideam, Tirynthem totamque oram maritimam, in qua Troezene, Epidaurus rel. sitae fuerunt. Homerus totum fere hunc tractum regno Argivo attribuit, Tirynthem nempe et oram illam maritimam — Mideam non nominat —. Quomodo et quando magna haec mutatio evenerit ab antiquitatis scriptoribus memoriae non traditur; quam quidem penitius perspectam habere eo magis nostra interesset, quum Troezene et (ex Eleorum traditione) Epidaurus Pelopidis antea parerent (Pausan. II, 30, 8. p. 182. II, 26, 3. p. 170, quamvis, quod Pausanias iam monet, non propriis auspiciis, sed sub Argivorum potestate imperium tenuisse putandi sint); Pelopidas vero antiquis illis temporibus non ad Argivum sed ad Mycenaeum regnum pertinuisse constet. Ab altera parte mirum est et explanatione indigere videtur, quomodo Sicyon sub Mycenarum ditionem venerit, quam maiore iuris titulo urbibus Argivis accensere deberemus, quum in Adrasti potestate fuisse Homerus, Herodotus, Pausanias et quamplurimi alii referant. Pausanias quidem narrat II, 6, 4 Agamemnonem bello Sicyonis imperium occupasse, regnante ibi Hippolyto, Rhopali filio, Phaesti nepote, Herculis pronepote; qui quum imminentem Agamemnonis potentiam videret, suis diffisus viribus sub eius potestate futurum spoponderit. Haec Pausanias e Sicyoniorum procul dubio traditione. At quum tota haec successionum historia incredibiles facessat difficultates et non mediocriter contra temporis ordinem peccet, ab ea recedere ipsique fidem detrahere religio non est. Si verum est, post Adrasti in regnum Argivum reditum Sicyone Janiscum regnasse ex Attica advenam id nonnisi usurpatione factum credibile est, quum neque Adrastus neque eius posteri continuis impediti bellis, iura sua repetere terramque iniuria ereptam vindicare sibi possent. Num fortasse cessionis titulo imperio Sicyonis potitus est Agamemnon? An fortasse orae maritimae (Troezenis, Epidauri cet.) pos-

sessionem commutavit cum agro Sicyonio, qui commodissimam inter terras eius Argolicas et Achaicas praebuit coniunctionem? Hoc modo clarum foret, quomodo Troezene, Epidaurus cet. in regni Argivi, Sicyon in regni Mycenaei urbibus recenseatur ab Homero. Fortasse (patet campus coniecturis!) bellum ab Agamemnone contra Argivos gestum, (v. supra), provinciae commutatae et Pelopidarum in hereditatem imperii Argivi futura successio, inter se cohaerent. Sed transeamus ad Mycenas.

....

PARTIS SECUNDAE

CAPUT TERTIUM.

REGNUM MYCENAEUM.

Perseus commutato cum Megapenthe imperio Mycenas condidit et Mideam *) (Pausan. II, 15, 4. pag. 144. — 16, 3. p. 146. Apollod. II, 4, 4, 4. p. 146. Eustath. ad Hom. Il. II, 569. p. 289 f.), Tirynthem muris cinxit; hoc tamen quo tempore factum sit non ab omnibus eodem modo traditur; sed ne diutius hac in re commorer monet instituti ratio. Videndi sunt de hoc argumento Pherecydes in Schol. Apollon. Rhod. IV, 1091, ap. Sturz. fr. II. p. 72. Eustath. ad Hom. Il. II, 559. pag. 286. Apollod. II, 2, 1, 3. p. 128, ubi conferatur Heynius et auctores ab eo laudati, et idem ad Apd. II, 4, 4. — ubi tamen non omnino accurate ex Apollodori mente „iam antea in Bellerophontis reducis gratiam a Cyclopibus munitam" urbem dicit; Apollodorus enim non de Bellerophonte sed de Proeto reduce loquitur: neque diligenti temporum contemplatione probatur Bellerophontem Proetumque eius aequalem Perseo antiquiores fuisse; de qua

*) De Mideae scriptura v. Eustath. ad Hom. Il. II, 507. p. 270 f. et ad 559. p. 286. Strab. VIII, 572. A Midea Aloei filia appellatam perhibet Eustathius; a Midea, Licymnii matre Schol. Pind. Ol. 7.

Proetorum duorum confusione supra locutus sum. Porro vir clarissimus lapsus videtur in eo quod e Pherecydis sententia „Cyclopes cum Perseo et Arcades advenisse“ annotat. Pherecydis locus supra laudatus, et alium de hac re non inveni, de Arcadibus nihil habet —. Mycenae, imperii caput, a Perseo non conditae sed auctae tantum videntur, siquidem verum est quod Pausanias II, 16, 3 e Mycenaeorum, (vel e Porsonii lectione, Acusilai) relatione narrat de Myceneo Phoronei nepote.

Persei filiorum ordinem eum constituit Heynius ad Apd. II, 4, 6. p. 129 ut Mestorem natu maximum, Electryonem secundum, Sthenelum collocaret tertium; quod quidem verum esse potest; sed si alii alius ordo magis placet me obstinacem non habebit. Id tamen observandum puto Herculem et per Amphitruonem et per Alcmenam gradu quarto descendere a Perseo, Eurystheum tertio, unde concludi posse videtur Alcaeum et Electryonem aetate anteivisse Sthenelum. Mestor quum sine prole mascula obiret, eiusque filia peregre enuberet, minoris est momenti. Helium natu minimum perhibet Pausanias III, 20, 6. p. 261. Persen vero maximum in Aethiopia relictum non moramur.

Si accuratius tradita esset Persei eiusque filiorum historia multa procul dubio in sequentibus, praesertim in Herculis historia, clariora nobis prostarent ubi nunc ad coniecturas redacti sumus minus magisve probabiles; quare et mihi concessum erit e dispersis passim membris unum qualecunque componere corpus. Perseus imperium non uni reliquisse sed filiis divisisse videtur, ita tamen ut non essent pares iure, sed praerogativam quandam agnoscerent eius qui natu maximus futurus esset; qua quidem regni constitutione — nos senioratum appellare solemus — integritatem non solum imperii servavit sed aequitatem etiam erga filios. Atque hac mente accipio quae Schol. Apollon. Rh. I, 747, ex Herodoro puto, refert, post Persei mortem quatuor eius filios, Alcaeum, Sthenelum, Mestorem et Electryonem communi consilio imperium tenuisse (κοινῇ τὴν βασιλείαν εἶχον); quod nihil

aliud significare censeo, quam nullum alii subiectum, sed unumquemque sui iuris fuisse in sua portione, ita vero ut singulae hac portiones singula imperia non essent, sed eiusdem Mycenaei partes; de alia enim communitate nullum inveni vestigium. Terram hoc modo divisam existimo: Alcaeus, aut si ante patrem is mortuus est, Amphitruo filius, Tirynthem accepit; in hac enim urbe invenimus Amphitruonem. — Paus. IX, 11, 1. p. 731. Hesiod. Scut. Herc. 80 sq. —, Herculem — Diod. Sic. IV, 33. p. 278. Paus. V, 2, 2. p. 378. — Tlepolemum et Licymnium — Pindar. Ol. VII, 24. — — Electryoni Midea evenit — Paus. II, 25, 8. p. 169; unde Μιδεᾶτις Alcmene, Theocrit. 13, 20, 24, 1. Eustath. ad Hom. Il. XIX, 114. p. 1175. Licymnius Electryonis filius Midea venire dicitur Pindar. Ol. X, 78. — Sthenelus Mycenas occupavit, Strab. VIII, p. 578 sq. et ex eo Eustath. ad Hom. Il. II, 569. p. 290, 14. — Si Homerus Il. XIX, 115 dicit, Junonem ad Stheneli uxorem gravidam venisse Ἄργος Ἀχαϊκόν, Peloponnesus intelligenda est; cf. Hom. Il. IX, 141. ib. Eustath. p. 742. De Mestoris portione, quum sine prole mascula obiret, non habeo quod dicam; eius ex Hippothoë posteri quum cum Telebois hereditatem repeterent maternam, communi consilio repressi videntur. — Me quidem non fugit multa circa hanc rem ab aliis aliter tradi — sic v. g. Apollodorus II, 4, 6, 1. Electryonem Mycenarum nominat regem — at in his quaestionibus quis omnium auctorum desiderabit consensum?

Mestore itaque mortuo eiusque posteris repressis, Electryone per imprudentiam ab Amphitruone occiso, et hoc ipso ob caedem illam quamvis involuntariam e regno exsulante, Helio denique Helis primum in Laconia, deinde in Taphiorum insulis degente, Sthenelus solus imperio Mycenaeo potitus est; idque non iniuria; recte enim, quum caedes vel involuntaria antiquissimo inter Graecos instituto caede iterum aut exilio lueretur, aberat Amphitruo, fugaeque comites secum abduxit Alcmenam uxorem, Electryonis filiam, et Licymnium, eiusdem infantem filium; nemo igitur aderat qui

maiore iure regnum usurpare potuisset quam Sthenelus, salvis tamen iuribus Licymnii adulti (siquidem hic pellice natus ad regni successionem adspirare potuit) et filiorum Amphitruonis, quae non ea qua debuisset religione servasse videtur Sthenelus.

Amphitruonem Thebas se contulisse, ibique natum esse Herculem, antiquissima est fabula quam apud Homerum iam invenimus, Il. XIX, 99. cf. Od. XI, 266 sqq.; et copiosius expositam apud Hesiodum Scut. Herc. statim ab initio; sed horum neuter de Jove Amphitruonem mentito agnoscit fabulam; recentioribus hanc debemus, et satis excultam exhibet primus, ni fallor, Pherecydes ap. Schol. Hom. Od. XI, 265. — ap. Sturz. p. 98. — *) Recentiorem item fabulae formam deprehendimus in tempore definiendo, quod consumtum dicitur in concipiendo Hercule; Homerus neque locis supra laudatis neque Il. XIV, 323 sq., (ubi aptissima se praebuisset occasio de trinoctio exponendi si aliquid de eo rescivisset poëta), de tempore definit, unde in naturali noctis unius tempore acquievisse tuto concludere possumus, praesertim quum ne Hesiodus quidem homini concipiendo longius temporis spatium necessarium putaverit quam unam noctem. v. Hesiod. Sc. Herc. 35—38. Una nocte porro contentus est Pherecydes; cf. locum eius supra excitatum **).

*) Procul dubio pro ἐοικὸς Ἀμφιτρύωνι cum Sturzio reponendum est ἐοικὼς Ἀμφ. In sequentibus ἡ δὲ Ἀλκμήνη δοκοῦσα τὸν ἑαυτῆς πάςον εἶναι κ. λ. recte haeserunt critici. Camerarius πασὸν ediderat, absque sensu; Sturzius ἀσπαςόν coniicit, Buttmannus ἐραςήν; equidem πόσιν propono.

**) Tota haec apud Scholiastam narratio male se habet, nec nimis diligenter Pherecydem excerpsisse videtur Enarrator. Etiamsi enim pro ἐπὶ ταύτῃ συνευνασθεὶς Ζεὺς κ. λ. cum Spohnio et Buttmanno ἔπειτα αὐτῇ σ.; vel cum Sturzio ἔπειτ' αὐτῇ reponimus, manet inconcinna et quasi absurda oratio. Cubat enim cum Alcmene Jupiter eadem nocte qua Amphitruo contra Teleboas profectus erat (— πορεύεται ἐπὶ Τηλεβόας· ἐν ταύτῃ Ζεὺς τῇ νυκτὶ κ. λ. —); et eadem ipsa nocte etiam Amphitruo e bello

Recentiores magni sunt in augenda hac fabula, et Herculis honori consulere sibi videntur, si plures noctes in eo formando consumtas traderent; hac quidem ratione alii binas noctes statuunt (Muncker. ad Hygin. f. 29; ternas alii, v. g. Orph. Argonaut. 120 sq. Lucian. Somn. c. 17. T. I, p. 16. Bip.; alii denique novem, Clement. Alex. protrept. p. 20 D.; quam rem facete perstringit Hemsterhusius in nota docta ad Luciani l. l., p. 200 sq. Bip.

Bellum Amphitruonis instigante Alcmena (quae connubii conditionem id fecerat) contra Teleboas gestum ab Hesiodo primum commemoratur, qui socios recenset Boeotos, Locros et Phocenses (Scut. 24 sq.); concinit fere Apollodorus (II, 4, 7, 3. p. 153), qui Creontem Thebanum, Panopeum Phocensem, Cephalum Atticum et Helium Argivum huius expeditionis socios nominat. Victor rediit *), terramque occupatam Helio et Cephalo tradidit. Redeamus Mycenas.

Sthenelus interim quum vereretur ne Electryonis et Amphitruonis posteri redirent aliquando iuraque sua repeterent, ipse vires suas corroborandas imperiumque subsidiis et societatibus firmandum existimavit; et opportuna illo tempore se obtulit occasio. Jam enim Myrtili a Pelope perfide occisi furiae Pelopis domum exagitare inceperant. Pelopis ex Hippodamia filii a matre excitati Chrysippum interfecerunt quem e pellice susceperat Pelops. Qua re maxime iratus pater,

redux (— τῇ αὐτῇ παραγενόμενος νυκτὶ Ἀμφιτρύων μίσγεται —); videant alii quomodo haec inter se accommodent.

*) Heynius ad Apollod. l. d. p. 131 de hac expeditione dicit: „Illa expeditio sine navibus fieri non potuit, quarum tamen nusquam fit mentio. An ergo, antiquiores Teleboas in continente habitasse illa adhuc aetate, acceperant narratum poëtae?“ — Non acceperant; expressis enim verbis Apollodorus II, 4, 7, 5. dicit: τὴν λείαν ἔχων εἰς Θήβας ἔπλει. — et Anaximander in Heroologia ap. Athenaeum XI, p. 498 c. de Amphitruone: τοῦτον (scyphum) ἑλὼν ἀπέπλευσεν. In Plauti Amphitruone navium mentionem fieri notum est.

quum filios exulare iuberet, hi Mycenas se contulere ad Sthenelum, quocum affinitatis vinculo iuncti erant; hic Atreo et Thyestae Mideam tutandam tradidit, (Apollod. II, 4, 6, 5. pag. 151) Electryonis urbem. Cum iisdem Hippodamia etiam mater Mideam se receperat, quam ut caedis Chrysippi auctorem praecipue invisam habuit Pelops, Pausan. VI, 20. 4. p. 502. Pittheus et Troezen eandem ob causam ad Aëtium se contulere Hypereae et Antheae in Argolide regem — non autocratorem certe, sed sub Stheneli potestate — a quo in imperii consortium adsciti eo mox potentiae creverunt ut Pittheus urbem in quam omnes cives compulerat a fratre Troezenem appellaret regumque indigenarum stirpem omnino deprimeret, Paus. II, 30, 8. 182. Nec minus referendum huc est quod Elei de Epidauro tradunt, eum Pelopis filium fuisse et Epidauri in Argolide conditorem; quamvis enim in Eoeis magnis idem Argi filius, Jovis nepos, ab Epidauriis ipsis Apollinis perhibetur filius, (Pausan. II, 26, 3. p. 170) tamen ex hac Eleorum traditione perspicimus, famam fuisse vulgatam, Pelopidas a patre fugatos in Argolidem abiisse tanquam receptaculum, quod quidem stemmata intuenti mirum non videbitur; non uno enim affinitatis vinculo Perseidae cum Pelopidis iuncti erant. Minus huc pertinet Alcathous qui Megaridis imperium occupavit. De Pelopis stirpe alio loco dicetur; in hac quaestione Thyestes tantum et Atreus eiusque posteri curam nostram sibi poscunt.

Natus interim est Mycenis Eurystheus Stheneli filius, septimo post conceptionem mense (ὁ δ' ἕβδομος ἑςήκει μεὶς; — Juno eum ἐκ δ' ἄγαγε πρὸ φόωςδε, καὶ ἠλιτόμηνον ἐόντα. Hom. Il. XIX, 117 sq.); et aliquot diebus post, Junonis artificio, Hercules Thebis lucem vidit; et horum dierum beneficio Herculi imperium praeripuit Eurystheus, vel invito Jove, qui aegre valde tulit

— ὅϑ' ἑὸν φίλον υἱὸν ὁρῷτο
ἔργον ἀεικὲς ἔχοντα ὑπ' Εὐρυσϑῆος ἀέϑλων. Il. l. d. 132.

Hi labores ab Homero non describuntur; recentiorum vero fabulas, quae circa hanc rem sunt multae, procul habeamus;

ceterum repeto quod supra iam dixi, me Herculis fabulam esse prosecuturum; obiter tantum capita quaedam attingam, quae historiam Argivam spectant, quod hoc loco monuisse sufficiat. Amphitruo in patriam non rediit sed Thebis obiit ibique sepultus est, Pausan. I, 41, 1. p. 98. Hercules vero cum Iphiclo fratre in Argolidem redux Tirynthis imperio hereditario potitus est, at quum secundus esset natu Eurystheo paruit, qui hominem maiora molientem, ne Argolidis totius affectaret imperium, expeditionibus continuis occupare studuit, sperans fortasse, fore ut aliquando in eiusmodi expeditione interiret, seque a molesto imperii aemulo liberaret. Regnasse Herculem, ex fabula antiqua, mihi dubium vix videtur, quamvis nec quando neque quomodo redierit compertum habeo. Vestigia huius fabulae antiquissimae habemus v. g. in locis supra iam appositis Diod. Sic. IV, 33. p. 278. Pausan. V, 2, 2. p. 378. Pindar. Ol. VII, 24. Apollod. II, 4, 12, 2. p. 160 pluribusque aliis; maxime vero res comprobatur Homeri ipsius narratione de Tlepolemo, quae ideo accuratius nobis erit examinanda.

Locus Tlepolemum spectans apud Homerum Iliade II, 661 sqq. hic est:

Τληπόλεμος δ' ἐπεὶ οὖν τράφη ἐν μεγάρῳ εὐπήκτῳ
αὐτίκα πατρὸς ἑοῖο φίλον μήτρωα κατέκτα,
ἤδη γηράσκοντα, Λικύμνιον ὄζον Ἄρηος.
Αἶψα δὲ νῆας ἔπηξε, πολὺν δ' ὅγε λαὸν ἀγείρας,
βῆ φεύγων ἐπὶ πόντον· ἀπείλησαν γάρ οἱ ἄλλοι
υἱέες υἱωνοί τε βίης Ἡρακληείης.

Locus valde disertus videtur; sed antequam ad eius argumentum accedimus, ab interpolationis crimine vindicandus est. Vir enim doctissimus C. O. Mueller in libro vernaculo die Dorier I, p. 109 not. 1 dicit: „In Ilias ε ist man gar nicht genöthigt anzunehmen, dass Tlepolemos von Rhodos komme (da sonst in der Ilias gar kein Held der Achaeer aus einer Kolonie stammt); der später gedichtete Catalog der Rhodier giebt keinen Grund dazu.“ Catalogus Rhodiorum nothus? Operae pretium fuisse videtur, rationes

quasdam addere unde et alii perspicere possint hanc catalogi partem per interpolationem reliquo carmini intrusam esse. Nam verba, praeter Tlepolemum nullum utique in Iliade Achaeorum heroëm e colonia esse oriundum, neque ipsi Muellero validum argumentum continere videbuntur, neque omnino vera sunt, quum eodem quo Tlepolemus sensu Phidippus etiam et Antiphus e colonia veniunt, nisi et horum catalogum (Il. II, 676 sqq.) spurium iudicabimus. Verum quidem est, nullum Achaeorum in Iliade heroëm e Dorica colonia oriundum esse; at de Doriensibus Homerus nihil habet; apud hunc Tlepolemus coloniam Rhodum deducit πολὺν λαὸν ἀγείρας, Argivos igitur s. Achaeos. Si autem Homerus de Rhodiis dicit οἳ Ῥόδον ἀμφενέμοντο διὰ τρίχα κοσμηθέντες et τριχθὰ δὲ ᾤκηθεν καταφυλαδόν neutiquam est necessarium hoc de tribus Doriensium explicari tribubus; clare satis e versu 656 videmus, ideo haec addere poëtam, quod tres urbes habitabant Rhodii, Lindum, Jelysum et Camirum. Turbat autem ipse causam suam Muellerus, dum alio loco I, p. 420, 4, parum sibi constans, hoc ipso Rhodiorum catalogo tanquam genuino utitur. Quibus argumentis addere possumus denique, Muellerum oblitum esse, nobis narrare, unde venerit, si non e Rhodo, Tlepolemus Heraclida ἠΰς τε μέγας τε (Hom. Il. V, 628)? Dum igitur validiora non proferuntur argumenta Rhodiorum catalogus in Homeri Iliade locum suum tuebitur.

Videmus hac narratione Homerica, Tlepolemum in patris domo regia educatum, ibi Licymnium occidisse; quo facto classem exornavit et exul patriam reliquit *); verebatur enim minas filiorum et nepotum Herculis; hi igitur eadem in urbe degebant, at in qua? Apollodorus II, 7, 6, 1. p. 216 Tlepolemum Calydone in Aetolia natum credidisse videtur, idque iusta argumentatione, si verum esset Herculem Aetolorum ducem devastasse Ephyram Thesproticam; atqui

*) Ἑλληνικὸν γὰρ τὸ μὴ φόνῳ φόνον λύειν (?), φυγαδεύειν δὲ τὸν ἅπαντα χρόνον. **Eustath. ad Il. II, 665. p. 316 f.**

haec est fabula recentior, ergo argumentatio inde deducta recentior adhuc. Si porro Tlepolemus Calydone natus esset, (nisi Apollodorus eiusdemque factionis auctores Homeri auctoritatem vilipendunt) ibi etiam educatum et Licymnium ab eo interfectum oporteret; a Tlepolemo vero Aetolos in coloniam eductos esse nullus erit qui affirmet. Rerum naturae maxime convenit, harum rerum scenam Tirynthem fuisse, Herculis regiam; et revera expressis verbis id tradit Pindarus Ol. VII, 24; Licymnii sepulcrum fuit in Argivo agro, Paus. II, 22, 8. p. 162; ob hanc caedem ex Argolide aufugit Tlepolemus (ib.); ante fugam vero ex Rhodiorum traditione, Polyxonem duxerat Argivam. Pausan. III, 19, 10. p. 259. In Argolide vixisse Tlepolemum tradit etiam Diodor. IV, 58, aliique; ita ut extra dubium positum videatur, post Herculis etiam mortem Heraclidas in Argolide fuisse.

Fabula recentior quum circa illud tempus Heraclidas in Peloponneso non agnosceret (eiecti enim erant ab Eurystheo scilicet!), et traditio tamen constans de colonia a Tlepolemo ex Argolide deducta minime cum hac opinione concineret, vario modo ex his angustiis se expedire conata est. Alii enim, a quorum partibus Apollodorus stat, (II, 8, 2, 1—3. p. 230 sq.) Heraclidas eiectos, post Eurysthei mortem Peloponnesum occupasse et per annum integrum obtinuisse tradunt; et hoc temporis spatio Licymnium occisum et coloniam ex Argolide deductam a Tlepolemo statuunt. Alii qui fortasse de occupatione illa Peloponnesi nihil audierant, alio modo huic incommoditati pro virili parte subvenire studuerunt; revocatos nempe Tlepolemum et Licymnium ab Argivis tradunt, Diodor. Sic. IV, 58. Quam ob causam hos duos? Ut Tlepolemus Licymnium occideret et Rhodum coloniam duceret ex Argolide. Mihi quidem dubium non est Peloponnesi illam occupationem annuam et spontaneam hanc Licymnii et Tlepolemi revocationem, fabulam non esse antiquam, sed Homeri et coloniae Rhodiae in gratiam esse inventam.

Rhodum occupatam esse a colonis Doriensibus ex Argolide profectis minime negaverim; satis enim haec res probata est Thucydidis auctoritate VII, 57; sed non pugnat hoc cum colonia antea a Tlepolemo deducta; quod tradit Thucydides diversum est, non contrarium. A Tlepolemo vero non Dorienses deductos esse, sed Aeolios et Boeotos refert Strabo XIV, p. 653, certe eandem ob causam; quod fabula communis de Heraclidis eiectis, illo tempore Tlepolemum Argivum non agnoscebat.

Quae omnia iusto ordine me ducunt quo tendo: Heraclidae eiecti sine Herculis expulsione cogitari nequeunt; atqui Hercules expulsus non est, ergo nec Heraclidae; de reditu itaque Heraclidarum ea significatione qua vulgo haec vox accipitur, sermo esse non potest. Doriensium in Peloponnesum expeditiones circa Deianirae liberos versantur, praesertim Hyllum eiusque posteros, qui omnes ab Homero alto silentio premuntur, unde ipsi omnino non innotuisse eos, recte concludimus. Verum quidem est Heraclidarum lineam ab Hyllo descendentem omnium maxime fuisse celebratam; at nullo modo mihi persuadeo hunc splendorem simul cum hac familia natum cum ipsa crevisse; credo potius obscura gentis initia seriori demum tempore, post occupatam Peloponnesum illustria facta, et celebritatem accepisse. Hyllum vero unquam Argis fuisse diffiicile est probatu. Cum Aegimio Doriensium rege societate, fortasse affinitate etiam, iuncti erant Hyllidae, quare inter Dorienses ipsos vixisse et magna auctoritate floruisse non est quod dubitemus; et bellicosam hanc nationem non haesitasse, in suam utilitatem vertere Heraclidarum societatem atque iura, facile credemus. Qua ratione factum est, ut Dorienses, Heraclidarum restitutione tanquam commodo praetextu usi, pulcherrimas Peloponnesi provincias occuparent. Singulas huius rei partes persequi mei non est consilii, nec omnino fieri posse videtur, ut veram rerum gestarum formam ex innumeris fabulis restituamus, quibus poëtae et mythographi hoc argumentum exornarunt; sufficere videtur hoc loco, breviter

ex veterum auctoritate exponere varias Doriensium contra Achaeos expeditiones.

Heraclidae (h. e. Deianirae filii cum factione) interea post varia fata a Theseo (vel Demophonte Thesei filio. Pherecyd.) benigne recepti erant; quorum machinationes et incrementa quum suspecta essent Eurystheo Stheneli filio de imperio metuenti, a Theseo illos sibi tradendos postulavit, Paus. I, 32, 5. p. 80; at Theseus hospitalitatis sacramentum veritus, quod poposcit Eurystheus facere recusans forti animo Achaeis bellum parantibus obviam ivit. Varias de his rebus narrationes vide apud Pherecydem ap. Antonin. Liberal. 33. (Sturz. p. 184) *), Pausan. I, 32, 5. Apollod. II, 8, 1. Diod. Sic. IV, 57. 58, Hecataeum ap. Longin. 27. (p. 54 in collectione Creuzeri), ubi interpretes plura dabunt. Pugna commissa est in agro Megarensi, in qua Athenienses Theseo (s. Demophonte) Hyllo et Jolao ducibus Achaeorum exercitum devicerunt, maximamque eius partem cum Eurystheo ipso et filiis interfecerunt. A quonam Eurystheus occisus sit, quum alii Hyllum, alii Jolaum nominent, non constat; vid. Heyne ad Apollod. l. d. p. 202. — Pausanias I, 44, 14. p. 109 ab Jolao occisum, in finibus Megarensium sepultum tradit; Strabo VIII, 579 ad Gargettum. Parum interest.

Eurysthei regis filiorumque morte et victoria Atheniensium et Heraclidarum perculsi Mycenaei, Atreum regnare iubent, cui in bellum proficiscens Mycenarum custodiam commiserat Eurystheus, quum ille praeprimis opibus et auctoritate floreret et antea iam affabilitate et morum suavitate populi favorem sibi conciliasset, Thucyd. I, 9. Diod. Sic. IV, 58. Eustath. ad Hom. Il. II, 569. p. 290. Hoc modo imperium Mycenaeum a Persidis ad Pelopidas transiit, qui societate cum Arcadibus, praesertim cum Echemo, Tegeatarum rege, potestatem suam non parum auxerunt. Echemus

*) In loco Pherecydeo procul dubio pro οἱ ἄλλοι Ἡρακλεῖδαι καὶ σὺν αὐτοῖς legendum est vel οἱ σὺν αὐτῷ, vel cum Sturzio καὶ οἱ σὺν αὐτοῖς, in sequentibus Bastii coniectura κατοικίζονται πάλιν ἐν Θήβαις pro πόλιν ἐν Θ. certissima est.

Timandram duxerat, Clytaemnestrae et Helenae sororem, unde Atridis affinis fuit. Hesiod. ap. Schol. Pind. Vratisl. XI (X) 79. Pausan. VIII, 5, 1. Apollod. III, 10, 6.

Mox prospero successu animati Heraclidae Hyllo duce Peloponnesum invadunt — annuam enim Peloponnesi possessionem quam Apollodorus II, 8, 2, 1. 2 narrat, silentio praetermitto, quum supra de ea iam dixerim. — In confinio agri Corinthii et Megarensis exercitus castra posuere, Argivi Echemo Tegeata duce, Heraclidae sub Hylli auspiciis, Mycenis Atreo regnante, ut historiae ratio et temporis nexus docent *). Neque vero hoc bello pugna commissa est; utriusque enim exercitus duces certamine singulari e provocatione dimicarunt, ea conditione, ut si Hyllus victor discederet Heraclidae in Peloponnesum redirent; sin vero victus occumberet, ne intra quinquaginta (Diod. Sic. l. d.) vel secundum alios centum annos (Herodot. IX, 26. ib. Valcken. et Wesseling, et hic ad Diodor. Sic. l. l.) reditum tentarent; spatium centum annorum rectius iudico, quoniam cum tempore melius convenit. Conditio quum placeret, prodeunt ad certamen duces, et interficitur ab Echemo Hyllus. Quo facto Heraclidae ex pacto recedunt in Atticam et postea ad Aegimium Doridis regem ubi communes cum Doriensibus sedes obtinuisse dicuntur. Haec tamen expeditio ab aliis aliter narrata videtur. Si enim accuratius inspicimus Pausaniae verba IV, 30, 1. p. 353: "Υλλου δὲ καὶ Δωριέων μάχῃ κρατηθέντων ὑπὸ Ἀχαιῶν, de hac nostra expeditione sermonem esse non dubitabimus; at male convenire verba certa-

*) Pausanias I, 41, 3. p. 98 hanc primam Heraclidarum invasionem Oreste regnante factam narraverat; sed mox, haec temporis rationi minime convenire intelligens, ingenue errorem confitetur VIII, 5, 1. p. 607. Hoc loco lectio variat: Codex Vindob. Hist. Gr. LI habet: τηνικαῦτα Ὀρέστην ἔγραψαν καὶ "Υλλον. καὶ Ὀρέστου βασιλεύοντος κ. λ. Cod Hist. Gr. XXIII sic: τηνικαῦτα Ὀρέστην ἔγραψα καὶ "Υλλον. καὶ Ὀρέστου βασιλεύοντος. Lectio ἔγραψα haud dubie vera; locus tamen nondum sanus videtur.

mini singulari non negabimus; quare varia de hac invasione tradita fuisse non immerito mihi persuadere videor *).

Interea Mycenis Atreus mortuus erat: ἐπὶ παιδὶ ἀτελεῖ τῷ Ἀγαμέμνονι dicit Eustathius ad Hom. Il. II, 106. p. 184, consentitque Schol. Venet. ap. Villois. ad II, 102; quare Thyestes, Atrei frater, et Agamemnonis et regni tutelam suscepit, quod expressis verbis Homeri Enarrator tradit et poëta ipse II, 106 haud dubie innuit ubi dicit, Atreum morientem reliquisse sceptrum Thyestae, tanquam filii certe tutori, Thyesten vero id reliquisse Agamemnoni. Homerum enim quae de Atreo et Thyeste tradunt Tragici ignorasse bene iam monuit Eustathius et Scholiasta Venet.; sunt hae fabulae recentiores, Tragicorum praesertim, qui simul atque argumentum quoddam occupaverant plenis manibus in id congerebant quidquid tragicum momentum habere videbatur. Neque tamen negaverim simultates iam quasdam fuisse inter Thyestem et Atreum et postea Agamemnonem, quum Thyestae factionem Agamemnoni inimicam videamus — qua de re supra —, cuius ope imperium sibi retinere consilium fuisse facile credemus.

Agamemnon adultus imperium ipse suscepit finesque adeo propagavit ut potentissimus sui temporis rex esset. Hom. Il. II, 577 sqq. Thucyd. I, 9. Tiryns quidem et Argolidis Acte hoc tempore Argorum regibus paruit — Tiryns Eurystheo regnante sub Mycenarum ditione adhuc fuerat —; sed Agamemnon Sicyonem occupavit et totam Aegialeam, quae postea Achaiae nomine appellata est. Sicyonem ab eo occupatam refert Pausanias II, 6, 4. p. 125, quam tum tenebat, si verum est, Hippolytus, Rhopali filius, Phaesti nepos, Her-

*) Omnino huius loci lectio turbata est, quare codicum Vindobonensium varietatem appono, praesertim quum, quam ob causam plane non video, in Messeniacis hi codices ap. Facium omnino sileant. Cod. H. Gr. LI sic: γλίνου δὲ καὶ δωριέως μάχης. καὶ οἰκίσαι τε αὐτόθι καὶ Ἡρακλέα. Cod. H. Gr. XXIII sic: ὕλλου δὲ καὶ δωριέων μάχῃ κρατηθέντων ὑπὸ Ἀχ. ἐνταῦθα ἀβίαν ὕλλου γλήνου τοῦ ἡρακλέους τρ.

culis pronepos; si vere Heraclida urbem illo tempore obtineans ab iis descendere debuit qui semper in Argolide habitaverant, neque vero ab iis qui cum Hyllo reditum tentabant, nisi res ita se habet ut supra (in fine capitis secundi partis secundae) exposui. Quomodo in Achaiae possessionem venerit Agamemnon mihi non constat. Legimus quidem apud Diodor. Sic. IV, 73 a Pelope τοὺς πλείϛους τῶν κατὰ τὴν Πελοπόννησον οἰκούντων subactos esse; at num Achaia in horum numero fuerit, quamvis plausibile videatur, mihi non liquet. Advertere nos debet, in Agamemnonis imperio nullam partem esse hereditatis avitae. Pelops quidem filios, Chrysippi interfectores, Pisa exulare iussit; mortuo vero Pelope Atreus, natu maximus, regnum paternum recuperavit, Hellanico teste ap. Schol. Hom. Il. II, 105 — p. 118 Sturz. —; sed Homerus neque in Agamemnonis neque in Nestoris catalogo Pisatidis mentionem facit; Eleis non paruisse hanc regionem Homeri ipsa circumscriptio docet in Eleorum catalogo. Quid? Num igitur Pisaei Graecorum in expeditione Iliaca socii non fuerunt? Fuerunt certe, et ni fallor Agamemnone duce; ex Homeri enim silentio contrarium concludere nolim, quum bonam etiam Messeniae partem Agamemnoni paruisse ex ipsa Homeri narratione sciamus, quae in Catalogo non commemoratur; de septem illis Messeniae urbibus loquor, quas tanquam dotem Achilli promittit, Il. IX, 148 sqq. 291 sqq.; erant hae Cardamyle, Enope, Ira, Pherae, Anthea, Aepea et Pedasus (de quibus conferendus Eustath. ad l. l.). In Catalogo hae urbes non recensentur, et tamen expeditioni interfuisse Pheraeos ex Hom. Il. V, 541 sqq. perspicimus; sed quod mireris Pherarum (s. Pherae — in Iliade enim urbs appellatur Phera, in Odyssea Pherae) reges Cretho et Orsilochus nuncupantur. Quomodo igitur Agamemnon Achilli eas promittere potuit? Fortasse tanquam feudum quod dicimus has urbes possederant Cretho et Orsilochus; quibus occisis (sine prole puto), Il. V, 541 sqq., ad Agamemnonem redierunt, ita ut Achilli eas promittere posset. Quod si verum est, Agamemnon dominium huius

Messeniae partis a Tyndareo, puto, dotem acceperat quum Clytaemnestram duceret; fortasse etiam hereditate ad Agamemnonem pervenerant post regum indigenarum mortem. Icarius, Tyndarei frater, Dorodochen, Orsilochi filiam duxisse dicitur. Complectebatur igitur Agamemnonis imperium partem Argolidis septemtrionalem cum insulis adiacentibus (praeter eas quae Argorum regibus parebant) Corinthum, Sicyonem, Achaiam, Pisatidem et bonam Messeniae partem; praeterea necessitudo ipsi erat et affinitas cum Arcadiae regibus, quare etiam Arcades praeter Psophidios belli Troiani socios videmus.

Regni caput secundum Homerum Mycenae erant, et recte quidem; tragici, hac etiam in re confusi, mox Mycenas, mox Argos usurpant; et in eodem interdum dramate alteram urbem cum altera confundunt; quare Strabo VIII, p. 579 de iis: διὰ δὲ τὴν ἐγγύτητα τὰς δύο πόλεις ὡς μίαν οἱ τραγικοὶ συνωνύμως προσαγορεύουσιν· Εὐριπίδης δὲ καὶ ἐν τῷ αὐτῷ δράματι τοτὲ μὲν Μυκήνας καλῶν, τοτὲ δ' Ἄργος τὴν αὐτὴν πόλιν. Locum de Agamemnonis regia primarium habemus apud Schol. Eurip. Or. 46: φανερὸν ὅτι ἐν Ἄργει ὑποκεῖται ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος· Ὅμηρος δὲ ἐν Μυκήναις φησὶ τὰ βασίλεια Ἀγαμέμνονος εἶναι· Στησίχορος καὶ Σιμωνίδης ἐν Λακεδαιμονίᾳ.

Agamemnone post reditum e bello Troiano nefanda caede interfecto (Hom. Od. XI, 439 sqq. ib. Eustath. Od, I, 35. III, 266 sqq.) Aegisthus, cui in bellum proficiscens Agamemnon regnum tutandum reliquerat, duplici adulterii et parricidii crimine contaminatus imperium usurpavit. (De regni tutela Aegistho commissa vid. Argument. Guelferb. ad Eurip. Orest.). Orestes quum aetatem maturam nondum attigisset, post patris necem sive ipse fugiens, sive ab Electra sorore servatus, (cf. Argument. ad Eur. Or. s. l.) ad Strophium, Phocensium regem pervenit; erat hic avunculus eius, duxerat enim Anaxibiam Agamemnonis sororem, e qua procreatus est Pylades, Pausan. II, 29, 4. p. 178. Postquam adoleverat Orestes — adscito in societatem Pylade consobrino,

ut recentiores perhibent (secundum Homerum Athenis redux Aegisthum interficit —

ἑπτάετες δ' ἤνασσε πολυχρύσοιο Μυκήνης· (Aegisthus)
τῷ δέ οἱ ὀγδοάτῳ κακὸν ἤλυθε δῖος 'Ορέςης
ἂψ ἀπ' 'Αθηνάων, κατὰ δ' ἔκτανε πατροφονῆα
Αἴγισθον δολόμητιν. — Od. III, 305 sqq. —)

postquam igitur, inquam, adoleverat Orestes, Mycenas rediit et, ulturus patris caedem, Aegisthum ipsamque matrem interfecit; sed mox maternis exagitatus furiis et a Clytaemnestrae cognatis matricidii accusatus patrium solum vertere coactus est. De accusatore inter auctores non constat; sunt enim qui dicant a Tyndareo Clytaemnestrae patre caedis poenam exactam esse (vid. v. g. Argum. Eur. Or. l. d.); sed merito ab antiquitatum Peloponnesiacarum auctoribus id fieri posse negari, a Pausania VIII, 34, 2. p. 669 traditur; eo enim tempore Tyndareum in vivis non amplius fuisse; Perilaum vero, Icarii filium, Clytaemnestrae patruelem — fratres enim erant Tyndareus et Icarius — accusatorem fuisse; litem vero primum in Arcadia, deinde in Areopago Athenis diiudicatam esse, cf. Pausan. I, 28, 5. p. 68. Ubi quum culpa liberatus et Troezene a novem Troezeniis expiatus esset (Pausan. II, 31, 7. p. 184) regnum paternum suscepit.

At non suscepit tantum, sed susceptum adauxit. Exstinctis nempe regni Argivi regiis familiis, Orestes hac terra potitus est, quo iuris titulo non inveni; vix enim rem explanari crediderim Pausaniae verbis II, 18, 5. p. 150 f.: 'Ορέςης τὸ ''Αργος κατέσχε παροικῶν τε ἐγγὺς αὐτῷ κ. λ. Affinitatem cum Cylarabe stemmata non exhibent, quare, nisi fortioris iure regnum Argivum ab Oreste occupatum volumus, in hac usurpatione nihil aliud fortasse videmus quam coniunctionem duarum partium eiusdem imperii, partitione Acrisii et Proeti divisi, ita ut altera linea in alterius locum succederet; in omnia vero iura Acrisionidarum Pelopidae successisse sibi videbantur. Lacedaemoniorum porro decreto Orestes, Menelao mortuo, Laconiae imperium obtinuit, quum a Tyndarei nepote, quam a Menelai filiis spuriis

e serva natis regnari mallent Spartani (Pausan. l. d.). Arcadiae non exigua pars Oresti paruit; quaenam autem haec fuerit a Pausania non traditur, cuius de ea re verba sunt προςπεποιημένος Ἀρκάδων τοὺς πολλούς; sed Tegeam fuisse haud improbabili argumento argui videtur. Echemus, Tegeatarum rex, certamine cum Hyllo celebratus, Timandram, Orestis materteram, duxerat. (Pausan. VIII, 5, 1. p. 607); cuius proles quum nusquam commemoretur, quum Orestes oraculi responso imperii sedem Mycenis in Arcadiam transtulisse dicatur (Paus. VIII, 5, 3. p. 608), quum eundem Tegeae mortuum et sepultum sciamus (Paus. III, 11, 8. p. 234. III, 3, 5. 6. p. 210. Herodot. I, 67 sq.) haud spernenda videtur coniectura, Orestem post Echemi mortem Tegeae imperio potitum esse. Complectebatur itaque Orestis imperium Argolidem, Laconiam, Achaiam, Pisatidem, bonam Messeniae, haud parvam Arcadiae partem; quibus si addimus strictam cum Pylade, Phocensium rege, necessitudinem (duxerat is Electram, Orestis sororem. Paus. II, 16, 5. p. 147), unde socios semper paratos habebat, Pelopidarum potentiam eo regnante summum attigisse culmen haud cunctanter affirmabimus; praecipiti tamen pede familiae interitus rerumque eversio appropinquabat; nihil enim sub luna stabile.

Tentant interea Heraclidae reditum, frustra iterum; adierant enim oracula, quod in rebus maioribus facere consueverant, et responso obscuro inducti exercitum cogunt, Peloponnesum intrare conantur. Apollod. II, 8, 2, 5. p. 232. Paus. II, 7, 6. p. 127 f. Expeditio post Hylli mortem prima quo duce facta sit et quo in Peloponneso regnante non ab omnibus eodem modo traditur. De Cleodaei invasione sunt qui referant; sic v. g. Schol. Pindar. Isthm. 7. rediisse Heraclidas narrat Aristomacho Cleadae, et Cleada, Hylli filio, ducibus; qua narratione temporum ordo invertitur; ante enim Aristomachum Cleadas reditum tentare debuit; et id quidem, si revera tentavit, Aegistho Mycenis regnante; at omnino haec expeditio mihi est dubia; ut silentio enim prae-

termittam foedus inter Hyllum et Echemum ictum, et καρπὸν τρίτον oraculi quo in Peloponnesum redire fatale erat Heraclidis, restat difficultas in perturbatione temporum, et penuria testimoniorum quibus clare et distincte haec expeditio comprobetur. Extra dubium vero posita est invasio, quam Aristomacho duce conati sunt Heraclidae. Oraculi responso male intellecto commoti quum per Isthmum intrare instituerent, a Peloponnesiis victi, et Aristomacho occiso re infecta redire coacti sunt. Tisameno regnante id factum refert Apollodorus; certe sub initium imperii eius.

Aristomachi filii quum adolevissent — pergit Apollodorus — de reditu oraculum iterum adeunt, quod eandem ipsis quam antea sortem edidit. Quo responso parum contentus Temenus quum per expostulationem Deo respondisset, maiores huic oraculo confisos male rem gessisse; Pythia illos ipsos in causa rei male gestae fuisse enuntiavit; perverse enim vaticinia intellexisse; tertium fructum significare tertiam generationem, ςενυγρὰν εὐρυγάςορα non Isthmum sed sinum qui Peloponnesum intranti a dextra manu sit *). A Pausaniae relatione (V, 3, 5. p. 380) haec omnia absunt vel in brevius contrahuntur; nam unum ille habet oraculum de duce trioculo (quod Apollodorus in sequentibus commemorat), qui navibus, nec vero pedestri itinere, invasionem in Peloponnesum faciendam suasit eiusque expeditionis ducem se obtulit, ea conditione ut agrum Eleum occupatum sibi traderent. Quod quum Dorienses eorumque duces adnuerent, Oxylus, Haemonis filius, Thoantis nepos (— erat is trioculus

*) Apollod. II, 8, 2, 6 male se habere videtur. Faber et Gale, probante d'Orville ad Charit. p. 347, pro πεισθέντα emendaverunt πεισθέντας. Heyne calculum non adiicit, sed τὸν πατέρα supplendum iudicat. Hoc quidem bene; sed num ad patrem referri possit πεισθέντα quaeritur. Oraculum de tertio fructu enim non Aristomacho sed Hyllo redditum erat; et Pythiam ipsam πεισθέντας intellexisse ex eo videmus quod statim respondet: τῶν ἀτυχημάτων αὐτοὺς αἰτίους εἶναι. Dei autem interpretationem authenticam puto.

ille —) classem Naupacti ornandam curavit, Temenoque et Cresphonti et Aristodemo, Aristomachi filiis, dux exstitit quum navibus in Peloponnesum transmitterent. De Aristodemo quidem non consentiunt auctores; Spartani enim hoc ipso duce Dorienses Laconiam occupasse affirmant, nullo assentiente poëta, ut testatur Herodotus VI, 52; idem tamen placuisse videtur Oenomao in Euseb. Praep. Ev. 5 a Palmerio laudato, qui morbo Aristodemum in Peloponneso obiisse tradit; et Xenophonti Agesil. 8, 7. qui domum eius Spartae commemorat. Plurimi vero ante reditum obiisse affirmant, alii (Apollod. II, 8, 2, 9. p. 236.) Naupacti fulmine ictum; alii (Paus. III, 1, 5. p. 205.) Delphis Apollinis transfixum sagittis. Pausaniae vero ea fama verissima videtur, e qua a Pyladis et Electrae filiis, Tisameni consobrinis, interfectus dicitur; perspicuum tamen non est, ubi et quando caedes patrata perhibeatur; praevaleat autem opinio, ante reditum interfectum esse.

Classe itaque parata Naupacto solvunt cum Heraclidis Dorienses et Molycrium primum, deinde in Achaiam traiiciunt, Paus. V, 3, 5. p. 380 f. Inde ab Oxylo per Arcadiam ductos refert Pausanias V, 4, 1. p. 381 f., causamque addit, ne agri Elei fertilitatem et culturam videntes Dorienses, eum sibi tradere recusarent. Ridicula causa! quae enim tandem ea via fuisset inde a Rhio Argolidem petentis per Elidem. Tisamenus Achaiam certe praesidiis firmaverat; quae ut circuirent et a tergo invaderent hostes, per Arcadiam invasionem instituerunt et felici id quidem successu; eiectis enim ex Argolide et Laconia Achaeis (non omnibus quidem) Dorienses pugna superiores terras eorum occuparunt. Neque vero contenti Heraclidae recuperata Argolide (quam repetere suo iure fortasse poterant, quum Persidae ipsi, Pelopida Tisamenus esset) et Laconia, Messeniam etiam et Elidem Oxylo tradendam occuparunt. Quo iuris praetextu Laconiam et Messeniam tenuerint, e Pausania II, 18, 6. perspicimus, indeque, si exemplo res indigeret, videmus iuris titulos quaerenti ubique obvios et summam rerum

rationem in armis positam esse. Tisamenus cum Achaeis e maxima regni patrii parte eiectus Joniam occupavit quae postea Achaia appellata est. Apollodoro teste Tisamenus a Doriensibus occisus est; qua in re assentientem non habet Pausaniam, qui de eiecto tantum narrat Tisameno (II, 18, 7.); et in Achaicis I, 3. p. 523. fusius rem exponens, victorem eum contra Jones pugnantem occubuisse tradit. Helice sepultus est; postea vero Spartani oraculi iussu ossa eius Spartam transferenda curarunt. Jones autem quum Achaeis petentibus incolendi ius concedere nollent, pugna devicti relicta patria in Atticam concesserunt et ab Atheniensibus benigne recepti sunt, sive ob Jonis de ipsis merita, sive ob metum ne Dorienses Atticam invaderent; quare receptis Jonibus haud spernenda subsidia sibi comparasse videbantur.

Heraclidae Peloponnesi partem occupatam tripartito diviserunt, ita ut Temenus, natu maximus, Argolidem extra sortem acciperet, Cresphontes fraudulenta sortitione (Apd. II, 8, 4. Paus. IV, 3, 3. p. 285.) Messeniam sibi vindicaret, filiisque Aristodemi Laconiam relinqueret. Tria hoc modo Doriensium regna in Peloponneso condita sunt, quorum historia extra huius operis terminos posita est. In universum hoc Heraclidarum reditu Peloponnesi facies omnino mutata est. Argolidem et Laconiam expulsis Achaeis Dorienses occuparunt; Achaei eiectis Jonibus Achaiam habitarunt; prisci Messeniae incolae sedibus non moti quum volentes Cresphontem regem et Dorienses in agri partem reciperent. Paus. IV, 3, 3. Regni sedes a Cresphonte Stenycleri constituta est. Elidis imperium Oxylus cum Aetolis occupavit; pristini incolae, quum in agri partem reciperent Aetolos, non eiecti. Sola Arcadia ab his motibus intacta relinquitur.

In fine totius operis computationes quasdam de tempore quo redierint Heraclidae adiiciam, e stemmatibus potissimum deductas. Maximae de hac re sunt turbae et confusiones, quamvis in hac ipsa et in constituendo anno belli Tro-

iani chronologiae versentur cardines; veteres jam hoc argumentum singulari quodam studio tractasse et res gestas heroicae aetatis in ordinem chronologicum inde redigere adlaborasse, satis est notum, e quibus apposite ad nostram quaestionem Thucydidem (I, 12.) Eratosthenem et Diodorum Siculum (I, 6.), qui Apollodori computationem refert, laudare sufficiat; qui omnes Heraclidarum reditum in annum octogesimum post bellum Troianum constituunt. Haud spernendae sane auctoritates, quae firmantur Pausaniae computationibus eodem fere redeuntibus, quas accuratius paululum perlustrabimus.

Duas numerat aetates a Nestoris morte usque ad epocham Peloponnesi ab Heraclidis occupatae, IV, 3, 3. p. 284 f. Nestorem decimo post Troiam captam anno in vivis adhuc fuisse videmus ex Homeri narratione, — adit enim eum Telemachus de patre sciscitaturus, brevi tempore ante Ulyssis reditum —; duae vero aetates sexaginta sex fere efficiunt annos, quibus si addimus annos quos Nestor post eversam Troiam vixit, summam habebimus octoginta annorum. Jam videndum est etiam quomodo hae computationes cum rerum gestarum ordine stemmatumque probatione conveniant. Redierunt Heraclidae Tisameno, Orestis filio, Agamemnonis nepote, Argis regnante; e Messenia eiecerunt Alcmaeonem, Silli filium, Thrasymedis nepotem, Nestoris pronepotem; Pisistratum, Pisistrati filium, Nestoris nepotem; filios Paeonis qui Antilochi filius, Nestoris nepos fuit; denique Melanthum, Andropompi filium, Bori nepotem, Penthili pronepotem, Periclymeni abnepotem; Periclymenus vero Nestoris frater fuit. Elidis tum rex erat Eleus, Amphimachi filius, Polyxeni nepos ad Troiam bellum gerentis; Eleus vero a regno remotus est ab Oxylo, Haemonis filio, Thoantis nepote, Aetolorum bello Troiano ducis.

Optime haec omnia inter se conveniunt si accuratius rem inspicimus, quamquam in generationum numeris quibusdam difficultates latere videantur. Orestes quum in bellum pater profectus est, nuper demum natus erat. Vix

adultus enim Aegisthum interfecit (— Hom. Od. I, 40. ἐκ γὰρ Ὀρέσταο τίσις ἔσσεται Ἀτρεΐδαο, ὁππότ' ἂν ἡβήσῃ καὶ ἧς ἱμείρεται αἴης. —) —; bellum Troianum gestum est per decem annos; post unius anni iter (Hom. Od. IV, 526.) in patriam rediit Agamemnon et mox ab Aegistho interfectus est, qui Mycenarum imperio potitus per septennium id obtinuit (H. Od. III, 305.); anno octavo rediit Orestes, (et eodem die post longos errores Menelaus in Argolidem appulit, Od. III, 311. IV, 82. cf. Pausan. III, 22, 2. p. 266.) Aegisthumque interfecit. Jam si ponimus biennem fuisse Orestem circa initium belli Troiani, addimusque decem belli annos, unum annum in reditu consumtum, Aegisthi imperium septenne, facili computatione inveniemus, Aegisthum octavo anno post Troiam captam ab Oreste vicenario occisum esse. Porro si ponimus Orestem tricesimo quinto aetatis anno (qui incidit in annum 23 post Troiam captam) procreasse Tisamenum, hic quum a Doriensibus octogesimo anno post Troiae eversionem ex Argolide et Laconia depelleretur, vix quinquagesimum septimum annum egit, quod a probabili rerum gestarum ordine neutiquam recedit.

Porro si inspicimus Neleidarum stemma, mirum sane videtur a Nestore per Pisistratum tres, a Periclymeno, Nestoris fratre, quinque generationes esse usque ad Heraclidarum reditum, ita ut quinta Periclymeni et tertia Nestoris generatio sibi respondeant. Quae difficultas facili negotio tollitur, si perpendimus Nelei duodecim recenseri filios, quorum maximus fuit Periclymenus (Apollon. Rhod. I, 156. Diodor. Sic. IV, 68. — Eustathius ad Hom. Il. XI, 689. p. 879, 18. et ad Od. XI, 285. p. 1686, 7. Chromium nominat; sed parvi momenti haec est diversitas), minimus Nestor, quod ex Hesiodo docet Eustathius ad Hom. Il. II, 336. p. 231. cf. ad Il. I, 250. p. 97. et probabili coniectura concluditur ex Homeri narratione, Il. XI, 690 sqq. Erat igitur multo maior Nestore Periclymenus et quum longaevitate satis celebratus sit dulcis Pyliorum orator, haud difficulter credemus Antilochum Nestoris filium et Borum Periclymeni

nepotem eiusdem fere aetatis fuisse. De Nestoris vero filiis hoc teneamus necesse est, Thrasymedem et Antilochum natu maximos fuisse, quod expresso Pausaniae testimonio comprobatur, (IV, 31, 9. p. 358 f. Θρασυμήδης καὶ Ἀντίλοχος προτετιμημένοι παίδων τῶν Νέϛορος ἡλικίᾳ, καὶ ἐπὶ Τροίαν μετεσχηκότες τῆς ϛρατείας; cf. Il. IX, 81.). Antilochi aetas ex Homero satis definitur; Il. XV, 569. Menelaus dicit: Ἀντίλοχ', οὔτις σεῖο νεώτερος ἄλλος Ἀχαιῶν; et Il. XXIII, 790. Antilochus ipse Ulyssem una generatione se maiorem appellat, quod ex nostro loco docet etiam Pausanias III, 24, 7. p. 273. — Filius natu minimus erat Pisistratus, qui decimo post Troiam captam anno uxorem nondum duxerat, ἔτ' ἠΐθεος. Hom. Od. III, 401., iuvenis adhuc et eiusdem fere cum Telemacho aetatis, quare et ipse Telemachus Pisistrato dicit: ἀτὰρ καὶ ὁμήλικές εἰμεν. Od. XV, 197.; hanc ob causam ille Telemachi in itinere socius et singularis amicus. Quibus praemissis non longe a vero aberrabimus, si Antilocho in bellum proficiscenti viginti quatuor annos assignamus; (quum autem in patriam non rediret et proles tamen eius commemoretur, ante bellum Troianum uxorem duxisse Paeonemque procreasse manifestum est;) Thrasymedi viginti duo, Pisistrato vix plures quam quatuor; unde patet Paeonis filios, et Pisistratum Pisistrati filium aetate provectiores fuisse quo tempore redierunt Heraclidae; Alcmaeonem vero et Melanthum iuniores.

Elidis rex erat quum redibant Heraclidae Eleus, Amphimachi filius, Polyxeni nepos, Agasthenis pronepos, Augeae abnepos. Polyxenus, quem ex Homero, Pausania aliisque Agamemnonis socium cognoscimus, illo tempore, quo ad Troiam profectus est, 25—30 annos natus erat, certe ea florebat aetate quae est inter iuvenilem et virilem, quod ex his colligo argumentis. Quatuor quum essent Eliensium duces bello Troiano, Amphimachus et Thalpius, Molionidarum filii, Diores, Amaryncei filius, et Polyxenus, Agasthenis filius, Augeae nepos (Il. II, 620 sqq.), tres primi secunda generatione descendebant ab Augeae aequalibus, Polyxenus ab Augea

generatione tertia, per Agasthenem, Augeae filiorum minimum, Paus. V, 1, 7. p. 377. Aetatem Dioris, Amphimachi et Thalpii ex accurata contemplatione locorum Hom. Il. XI, 709 sq. 719. Pausan. V, 2, 1. p. 377 f. H. Il. XXIII, 629 sqq. — exacte satis definire possumus; aetate iam erant provectiores, sed integro adhuc vigore; Polyxenus vero omnium minimus, quod e generationum numero et Pausaniae testimonio videmus, qui (V, 3, 4. p. 380) e bello Iliaco reducem, Amphimachum filium suscepisse tradit; unde si quinto post Troiam eversam anno Amphimachum, tricesimo quinto Eleum natum ponimus, hunc expeditionis Heraclidarum tempore annum quadragesimum quintum egisse perspicimus. — Oxyli aetas egregie convenit; erat tertius a Thoante, Atridarum in evertendo Priami regno socio, Pausan. V, 3, 5. p. 381.; Thoas vero et Hyllus consobrini, quum uterque a parte materna Oeneum avum agnosceret. Juvenem in bellum esse profectum haud immerito fortasse concludi potest ex Hom. Il. XV, 281 sqq; quare post eius reditum Haemonem natum putaverim, vel invito Lycophrone, qui (versu 1011 sqq.) diu errasse Thoantem nec unquam in patriam rediise tradit. — Quadragenarius igitur fere erat Oxylus ab Heraclidis in Elidis regnum restitutus.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

In Praef. Creuzer. *pag.* XII *linea* 7 *a f. pro* factum *lege* factam
Pag. 7 *linea* 13 *a fine pro* Aegyptiaeo *lege* Aegyptiaco
— 8 — 15 *pro* abitror *l.* arbitror
— 10 — 19 *a f. pro* Phaëtusam *l.* Phaëthusam
— 10 — 13 — —. Thegon. *l.* Theogon.
— 12 — 17 *deleatur alterum* „quidem."
— 15 *n.* 5 *pro* Appollod. *l.* Apollod.
— 22 *linea* 2 *f. pro* genalogia *l.* genealogia
— 29 — 12 *post* „Jonem matrem fuisse docet Schol. ad Arati Phaenomm. 161." *haec inserantur, quae nescio qua ratione, sed mea culpa omissa erant:* Hoc quidem loco Jonis nomen non occurrit, dicit enim Scholiasta: οἱ μυθολόγοι τὸν ἡνιόχον λέγουσιν εἶναι εἴδωλον ἢ Βελλεροφόντου ἢ Τροχίλου τῆς Καλλιθέας παιδὸς, τῆς ἀπ᾽ ἐν Ἄργει γενομένης ἱερείας· ἅρμα πρῶτον ζεύξαντος. at Callitheam hanc et Jonem eandem esse egregie a J. Scaligero probatum est in docta ad Eusebii chronicon nota, p. 23 sq. ed. Lugd. Bat. 1606, quam integram apponere consultissimum duco. Dicit autem vir eruditissimus: Omnes libri tam scripti quam editi; In Argis primus sacerdotio functus est Callicias Perantis filius. Nobis primo oculorum coniectu vitium oboluit, qui sciremus Argivae Junonis sacerdotium non viris sed feminis mandari solitum. Itaque statim legebamus: prima sacerdotio functa est Callithyia, Piranti filia. Coniecturam nostram confirmarunt biennio post Eusebii graeca, in quibus, ita plane est, ut emendaveris, nisi quod σπείραντος non πειράνθου habet, qui erat frater ipsius Criasi, quamquam et πείραντα vocat Eusebius ipse de hac Callithyia scribens lib. III. προπαρασκ. ex Plutarcho: Λέγεται δὲ Πείρας ὁ πρῶτος Ἀργολίδος Ἥρας ἱερὸν εἱσάμενος, τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα Καλλίθυιαν ἱέρειαν καταςήσας ἐκ τῶν περὶ Τίρυνθα δένδρων ὄχνην ταμὼν εὐκτέανον Ἥρας ἄγαλμα μορφῶσαι. Hanc sacerdotem Callithoën vocat Hygenus fab. XCLV., ubi perperam excusum Callirhoë, sed Callithoën legendum constat ex Phoronidis auctore, cuius versus de Callithoë prima Junonis Argivae Flaminica adducit Clemens Alexandrinus:

Καλλιθόη κλειδοῦχος ὀλυμπιάδος βασιλείης
Ἥρας Ἀργείης, ἣν ςέμμασι καὶ θυσάνοισι
Πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης. —"

Sequitur Scholium Theonis in Aratum supra appositum; deinde pergit: Si verum est quod scribit Apollodorus, haec Callithyia non fuerit prima Junonis sacerdos Argivae, siquidem Io functa fuit illo sacerdotio. Apud Hesychium: Ἰὼ Καλλιθύεσσα ἐκαλεῖτο ἡ πρώτη ἱέρεια τῆς Ἀθηνᾶς; videtur esse haec de qua loquimur Καλλίθυια ἡ πρώτη ἱέρεια τῆς Ἥρας non τῆς Ἀθηνᾶς. Et sane est error aut Hesychii aut scriptoris qui haec illi persuasit. Nam pro Ἰὼ Καλλιθύεσσα le-

gendum Ἰὼ Καλλίθυια, ut duplex illi nomen fuerit, Ἰὼ ut apud Apollodorum, Καλλίθυια ut hic apud Eusebium." — Haec egregie ille, et secundum hanc opinionem correcta velim quae *p.* 20, *l.* 2 *f.* dixi.

Pag. 29 *linea* 11 *a f.* — Psamathae ex Apolline filius a canibus laceratus, commemoratur Pausan. II, 19, 7. p. 154. I, 43, 7. p. 105.
— 30 *linea* 2 *pro* dubia *l.* dubie
— 31 — 1 *f. pro* tripartitum *l.* tripartito
— 37 — 7 *f. in nota pro* Vindob. *l.* Vindobb.
— 45 — 17 *pro* a Tzetze *l.* ap. Tzetzem
— 47 — 1 *post* „notae criticae" *inseratur:* Pherecydes libro IV. (ap. Schol. Apollon. III, 1185., ap. Sturz. fr. XV. p. 105.) hoc exposuit stemma:

Nilus | Neptunus | Belus
Argiope ᴗ Agenor ᴗ Damno
Cadmus
Aegyptus ᴗ Isaea | Phoenix | Melia ᴗ Danaus.

De singulis vide quae Sturzius congessit ad hunc locum, et cf. Heynium in not. crit. ad Apd. II, 1, 4, 2—4. p. 117. et in obss. p. 104. ibique laud.
— 58 *linea* 7 *pro* filium *l.* filiam
— 62 — 8 *f. pro* quidem *l.* quidam
— 65 — 2 *inseratur:* Cynurus, Persei (e Cynuriorum traditione) filius, aptiorem inveniet locum in Arcadicis, ubi de Cynuriis acturus sum. V. Pausan. III, 2, 2 p. 207.
— 69 *linea* 13 *inter* „nomen" *et* „reticet" *inseratur* „patris"
— 87 — 3 *pro* dicitur *l.* dicit
— 97 — 14 *a f. pro* Thuriis *l.* Thurii
— 100 — 13 *pro* Janiseus *l.* Janiscus
— 104 Si hoc loco Thesprotia terra Homero incognita appellatur, hoc eo sensu accipiendum est, quo nos v. g. interiores Africae provincias terram incognitam nominamus.
— 105 *linea* 17 *f. pro* addero *l.* addere
— 113 — 2 *pro* natalia *l.* natalitia
— 130 — 3 — Telchino *l.* Telchine
— ib. — 10 — ad *l.* ap.
— 135 — 12 *f. pro* Graeciae *l.* Graecia
— 143 — 4 *f.* — videntur — videatur
— 144 — 6 *pro* censortium *l.* consortium
— ib. — 12 *pro* tripartitum *l.* tripartito
— 149 — 7 — tripartitum — tripartito
— 167 — 1 *post* „fabulam" *inseratur* „non"
— 173 — *deleatur nota* cf. p. 87.
— 174 — 1, 2 *pro* obtitineans *l.* obtinuit

Reliqua vitia, praesertim ubi in interpunctione erratum est, lector benevolus corriget.

INDEX CAPITUM.

INDEX NOMINUM PROPRIORUM. *)

*) Litera *f*. post nomen significat: *filius*; *fa* = *filia*; *pr* = *pater*; *mr* = *mater*; *mar.* = *maritus*; *ux.* = *uxor*; *st.* indicat nomen *in stemmate* occurrere; *i.*, *m.* et *f.* post numerum, in *initio*, *medio*, *fine* paginae.

G.

L.

M.